TEMPORA

SUBSECIVA

ANGELI CIAMPI

PROFESSORIS PHILOSOPHIÆ, AC SYNTHESIS IN LYCEO SALVATORIS — MODERATORIS STUDIORUM IN ARCHIEPISCOPALI GYMNASIO — SOCII ACADEMIARUM HERCULANENSIS, PONTANIANÆ, ARCADIÆ, TIBERINÆ, SCIENTIARUM, ARTIUMQUE *ARDENTIUM* VITERBI ETC.

EDITIO ALTERA

AUCTIOR, ET EMENDATIOR



VOL. I.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA TRAMATERIANA

Sunt penes auctorem vico Maiorani n.° 41.

AN. MDCCCXLI.

Vaticinatio.

Nuper, nec pudet, editi libelli
Typis poscitis egredi secundis!
Si vobis placet hos, et hos adire,
Mihi displicet his, et his notari =
At qui te notat, hactenus fabarum
Non dixit, cicerumque nos cucullos =
Dicet: copia nauseam creabit.
En saecli genium: vapore vectus
Terrae dum studet, aeris, marisque
Momentis tribus expedire cursum;
Odit quae hos celeres morantur ausus =
At fides data liberes requirit =
Dedi, et libero, sed dedisse nollem.
En quae denique fata nos manebunt.
Vos vostrae petulantiae pigebit,
Me mei ingenii obsequentioris:
Vos rhonchi excipient maligniorum,
Me excussa haud semel arguet crumena.

HENDECASYLLABORUM

LIBER I.

I.

Ad libellorum obtrectatores.

Quid cultor Sophiae, Matheseosque
Nugas extulit, ediditque ineptas,
Quas Phoebus pater haud probat, chorusque
Æquo lumine non videt sororum?
Qui sic rancidulo malignus ore
Tingit versiculos meos veneno,
Quod prodest, sciat esse non ineptum.
His ludens obiter, vel otiosus
Saecli incommoda saepius fefelli.

2.

Herculanensis Academiæ Sociis (a)

Quo sub nomine profero libellos
Qui latent tenebris, petuntque lucem?

(a) Legebatur in fronte primi tomi primae editionis.

Illustres socii, quibus resurgens
Vitam denique debet Herculanum,
Vobis dedico : vos potestis uni
Illos spargere quo carent nitore :
Ad solis radios nitent tenebrae.

3.

Ad Iosephum Castaldium appellationum iudicem(a).

Castaldi, tibi mitto, quos probante,
Quos te judice protuli libellos.
Sublatum sibi pabulum queruntur
Iam blattae, ac tineae: quid eruditis
Si fastidia mentibus creabunt
Leves versiculi, inficetulique?
Si tu, quos ego credidi premendos
Æternis tenebris, iocos probasti;
In te tu recipis meum periclum,
In portu mea navigat carina.
Tu legum Themidisque, Palladisque
Iudex candidus, integerrimusque,
Si nunquam Themidem, semel videris
Tuo Pallada prodidisse voto.

(a) Iosepho Castaldio appellationum iudice Afragolae nato an. 1775 pridie nonas maias familiarissime a pueritia usus sum. Is primum hortari, ac suadere, deinde instare, ac prope cogere visus est, ut libellos, qui forulis latebant, ederem. Cum nulla querela in tot annorum amicitia interciderit, amico doctissimo morem gessi.

4.

Nomen Iesu.

Huc huc hendecasyllabi affluentes
Iocis, lusibus, elegantiisque:
Iesu nectite nomini coronam.
Nihil dulcius est, venustiusque,
Nihil splendidius, potentiusque.
Mel dulcedine, gratiis venustas,
Splendor lumine, viribus potestas
Iesu cedere nomini fatentur.
Nomen blandisonum remulcet aures,
Nomen fulgidulum fugat tenebras,
Nomen nobile, molle, delicatum
Cor laetum facit, erigitque mentem.
Si te sollicitat, premitque cura,
Iesu nomine cura dissipatur:
Si te vis erebi potentis urget,
Iesu vis erebi cadit vocato:
Si te, quot mala sunt, simul fatigant,
Iesu in nomine spes redit, salusque.
Nihil dulcius est, venustiusque,
Nihil splendidius, potentiusque.
Est nomen super omne, cui creatum
Genu flectere, quicquid est, tenetur.
Huc huc hendecasyllabi affluentes
Iocis, lusibus, elegantiisque,
Iesu nectite nomini coronam.

5.

Nomen Mariae

Qui nostis lepidique, scitulique
Iesu nectere nomini coronam ,
Adeste hendecasyllabi, paremque
Matris nectite nomini Mariæ.
Nomen blandidulum, venustulumque!
Vincit blanditias venustiores.
Plus hybla sapit, atticoque flore ,
Nido plus olet alitis superbæ.
Nomen fulgidius, nitentiusque!
Fulgores superat nitentiores:
Lux argentea deficit Dianæ ,
Os Apollinis aureum laborat.
Ut primum sonuit superna in aula ,
Omnes cœlicolæ dedere plausum :
Humanas simul ac beavit aures ,
Quæ spes occiderat, redit salutis.
Stella si maris est, Deique mater,
Dici quid melius potest, priusque ?
Stellæ non minor est nitor nitendo ,
Parit, nec vitium subit Maria :
Stella nauta capit regente portum,
Maria ingredimur favente coelum.
Nomen blandidulum, venustulumque !
Nomen fulgidius, nitentiusque !
Dici nil melius potest, priusque.

Adeste hendecasyllabi, coronam
Matris nectite nomini Mariæ.

6.

Ave Maria

Si mordent animum, premuntque curæ,
Te, sanctissima Virgo, te saluto,
Èt fluctus animi statim recumbunt.
Ave ter quater, o patrona Virgo,
Ter quater deciesque, milliesque,
Ter quater quoties velim, mihique
Nota non licet explicare certa :
Ave si cadit, interitque phœbus,
Ave si caput aureum resolvit.
Verbum nobile, gratiaque plenum !
Plenum sollicito pavore verbum !
Ave vincula pulchriora struxit,
Ave vincula turpiora fregit.
Ave vix ait Aliger supernus,
Nubit virgo Deo, Deumque gignit :
Ave vix stygias sonat per undas,
Nigra tartara tota contremiscunt.
Verbum dulcisonum, venustulumque!
Verbum mirificum, salubre verbum !
Ave me eripit omnibus periclis,
Ave me exhilarat, beatque totum.
Ave ter quater, o patrona Virgo,
Ter quater deciesque, milliesque :

Ave si cadit, interitque phœbus.
Ave si caput aureum resolvit.

7.

Mariae de Andrea
Marchionis Ioannis F. claustrum adeunti.

Mundi deliciae valete, abite:
Me nec flectere, nec movere possunt,
Quae attritis miserabiles labellis
Ludunt blanditiae inficetiores.
Ictu saucia, quem manus superna
In cor non fragili iacit sagitta,
Quae mundus bona pollicetur, odi.
Sordent divitiae, theatra, coetus,
Et quae gaudia, quamque stultiores
Hymenis pereunt facem puellae.
De Andrea soboles secunda nulli
Claro sanguine, fronte liberali,
Mentis viribus, integro pudore,
Et has, et similes locuta voces
Claustri seligit abditos recessus.
O factum bene, fortiterque factum!
Dum mundi bona respuit caduca,
Æternam sibi comparat coronam.
Novit ponere calculos virago!

8.

Eidem vota perficienti.

Pugna in difficili puella victrix ,
Votorum tibi meta iam paratur :
I , dignam cape lauream periclo.
Avitum genus, inclytumque nomen ,
Ætas integra, blandulique mores ,
Velox ingenium, decorque felix
Te ad mundi illecebras simul trahebant.
Tu, quae pectora firmiora frangunt ,
Ausa nullius æstimare nummi,
Christo te sine fraude mancipasti.
Nil factum meliusque, fortiusque ,
Nihil splendidius, sagaciusque.
Vicisti illecebras periculosas ,
Sprevisti bona fluxiora vento ,
Fecisti tibi nuptias perennes.
Pugna in difficili puella victrix ,
I , dignam cape lauream periclo ,
De mundo domito refer triumphum.

9.

Vita longa, et brevis

Aut *est*, aut *fuit*, aut *erit* quod omnem
Vitam dicitur explicare tempus :

Firmat *quod fuit,* efficitque solum ,
Ut longa, aut brevis esse censeatur.
Quod est labitur, effluitque ut aura :
Dum vis carpere, præterit , fugitque.
Incertas *quod erit* parat figuras ,
Quæ solvi ut nebulæ solent, nivesque.
Constat *quod fuit,* et manet superstes ,
Et quæ quisque facit, notat tabella ,
Actam quæ statuit, refertque vitam.
Qui præsentibus occupatur unis,
Qui spem nititur inchoare longam ,
Qui morsus animi experitur acres ,
Non videt tabulam suam, vel odit :
De vita hic queritur nimis fugaci.
At qui nec sibi defuit, nec ulli ,
Tabellam quoties suam recenset ,
Extendit toties dies, et annos:
Quot vixit bene, tot revivit horas.

10.

Amicus fidelior

Amicum sibi quæritasse semper ,
Dolet Scævola, repperisse numquam.
Nescivit sibi providere stultus :
Quod foris petiit, domi patebat.
Damonem , Pyhiamque vel fuisse
Vatum somnia dixeris , logosque ,
Vel resurgere nolle, cum subactis

Virtus moribus exulavit omnis.
Sordet candida veritas, iacetque,
Est nullus fidei locus relictus,
Et qui te colit, excipitque blandus,
Tendit retia, tutiorque fallit.
In se, qui cupit, invenire amicum,
In se, si sapit, invenire certet.
Si sordes animi sui repurgat,
Si belli nihil experitur intus,
Se amicum sibi repperisse gaudet
Damone, et Pythia fideliorem.

II.

Homo.

Homo corpore, spirituque constat:
Corpus indiget omnibus caducum,
Est satis sibi spiritus perennis.
At pars nobilior, venustiorque
Est partis famula invenustioris:
Servit, et studet impedire frustra,
Quibus perpetuis subest ruinis.
O quæ copula! quot ferax malorum!
Quos hinc spiritus experitur æstus!
Si per somnia, fabulasque vates
Monent quæ bona tradidit vetustas;
Hic est qui Tityus jecur renascens,
A quo carpitur, aliti ministrat.

12.

Prometheus

Cur indigna pati dolet Prometheus ?
Nemo plus meruit suos labores.
Humani generis sator protervus
Inerti male corpori alligavit
Qui vis spiritus est, fugitque vincla.
Iure rupibus alligatus hæeret.

13.

Humana ratio.

Fax, quæ languida nec perit, nec ardet ,
Humana est ratio. Videt tenebras ,
Quæ nos undique comprimunt, suaque
Videt nescia dissipare luce.
Instructi hac face nascimur, parique
Non omnes studio facem fovemus.
Qui fovet magis, esse rariores ,
At plures videt esse quas fugare
Frustra vult tenebras, et implicatur ,
Si in caligine rariore sperat
Res discernere posse per figuras.
Blanditur sibi saepe, turpiterque
Pro Iunone videt , colitque nubem.
Quid ergo est ratio? pudet fateri ,

Est fax, qua sine non licet videre,
Est fax, qua duce perperam videmus,

14.

Humana scientia

Est scientia dos beatiorum:
Caussas qui videt omnium latentes,
Mira perfruitur beatitate.
At quis hanc sibi comparare dotem
Adhuc quis potuit? Petivit Adam
Ipsa ab arbore, protinusque nudum
Se sensit, puduitque, frondibusque
Texit sollicitus pudenda latis.
Quaerunt philosophi, sciuntque tandem
Scire se nihil, idque nuditatis
Hoc systemate vestiunt, vel illo.
En frondes, quibus obtegunt pudenda!

15.

Humanum sapere

Nosse quod magis interest perenni
Quaesivi studio, nihilque novi.
Vulgo vel mera verba iactitantur,
Vel quae prismatis instar hanc, et illam
Praebent sub vario colore formam.
Scire homuncio, scire quid laboras

Humanae penitus negata menti?
Frustra niteris, aestuasque centum
Ut pulsa in pelago ratis procellis.
Uno te potes expedire pacto.
A boni specie recede nunquam,
Prudens ne in vetitum ruas, sciensque,
Fluxu caetera, quo fluunt, ferantur.
Humanum sapere his modis tenetur.
Sic, nisi has quoque fabulas putabis,
Et morsus animi truces cavebis,
Et scies minus, et magis quiesces,

16.

Poeta.

Frondes perpetuas, levesque fructus,
Laurus quae parat, est decus poetae.
Quaerit esuriens perennitatem.

17.

Voluntas

Volo in corpore suscitare motus:
Statim quos volo suscitantur omnes.
Volo quod video bonum, proboque:
Quod odi, haud semel in malum relabor.
Foris plus valet, est qui ait, *voluntas*,
Quam domi. Id faciles movet cachinnos:

Cur non possit idem domi, forisque?
Voluntas homini boni, malique
Est, aiunt alii. Nihil cohaeret :
Biceps sic homo nasceretur idem.
Haec est vis habitus semel recepti :
Cum longum volumus malum per usum,
Voluntas trahiturque, truditurque.
Dum bonum cupit insolens, petitque,
Ad malum, ut solet, incitata currit.

18.

Facilius est scelus cavere, quam patrare.

Si quam dant operam scelestiores,
Ut parent scelus, instruant, agantque,
Darent dimidiam, ut scelus caverent,
Honesti fierent statim, probique.
Ad bonum rapimur, bonusque haberi
Nemo est, quin velit. Ergo, qui protervus
Inteudit sceleri, perenne bellum
Indicit sibi, nititurque frustra
Vel tristes animi levare morsus,
Vel bouum se aliis malus probare.
Naturam sequitur ducem, statimque
Alter se probat omnibus, sibique.
Tanti stat scelus improbis! cavetur
Via tam facili scelus, brevique!
Sibi quam male consulunt scelesti!

*

19.

Voluptas benefaciendi

In vita mihi plura contigerunt,
Nunquam qui bona pro bonis referret.
Dixi non semel esse comprimendam,
Qua laedor toties, benignitatem.
At, cum res tulit, immemor malorum
Fovi sedulus ante quos fovebam.
Parum qui mihi me cavere dicis,
Expertum puto te fuisse nunquam
Quae a facto bene profluit voluptas.
Quam blando movet, allicitque sensu!
Divinos homines facit, beatque.

20.

Acriora mala sunt meliorum

Malis omnigenis, tenacibusque
Premi te mihi, Taliarche, scribis:
Nil his litterulis magis venustum,
Nil gratum poterat magis venire.
Est virtus tua digna, quæ resistat
Malis omnigenis, tenacibusque!
Te Deus putat optimum bonorum.
Dux illa, in quibus est magis pericli,
Mandat militibus magis probatis:

Immittit Deus acrius malorum
In virtutibus eminentiores (a)

21.

Verus cholerae *despectus* (b)

Quae vita esse aliis solet voluptas,
Mihi supplicium fuit perenne:
Hora non fuit una, qua valerem.
At plus culcitra profuit cubanti,
Quam valentibus ambulationes,
Et quae gaudia prima iactitantur.
Haec compescere spiritum libenter,
Haec mundi docuit bonis carere.
Cur spei movear, metusque nervis?
Cur secter bona profutura nunquam?
Quod vitae est mihi relliquum salillum,
Sit, non sit, nihil interesse duco.
Quis cassae satagit nucis, vel hili?
Solo nomine qui patet, latetque
Morbus caetera, serpit, atque messem
Falx, vitas hominum secat, metitque.
Quisque dum sibi consulit, cavetque,
Nemo a quo cadit intuetur hoste,
Nemo scit quibus arceat sagittis.

(a) Sen. De Prov. c. 4.

(b) Scripsi mense iun. an. 1837 cum *cholera* Neapoli fureret, et ego acrioribus morbi stimulis ruri torquerer.

Omnes sollicito pavore fracti
Maturant sibi, quam timent, ruinam.
Me humanae miseret, pigetque sortis,
At mei miseret nihil, pigetque.
Cholera huc ades, improbaque peste
Tua me pete: te, tuumque virus
Unus provoco, sperno, rideoque :
Nil mali timeo, nihilque damni.
Vitam si mihi demseris, triumpho:
Gesta re bene, desinam perire.

22.

Fons salutis.

Post tot difficiles, gravesque morbos
En me conficit improbus cholera :
Plausus denique fabulam coronet.
Si tot criminibus meis piandis
Vita non satis est laboriosa ;
Tuos, qui cruce passus es, dolores
Adde : sic nive, lilio, ligustro
Fiam candidiorque, puriorque.
O fons, et caput omnium salutis !

23.

Aloisio Ruffo S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Neapolitano, Roma Neapolim reduci post electionem Pontificis Pii VIII.

I, Ruffum pete Praesulem, Thalia ,
Quem Romam prius, et subinde fatum
Nobis dixerat invidere rumor (a).
I pernix, reducique, sospitique
Pastori, domino, patri, patrono
Fer, quas promere gratulationes
Lycei socii iubent magistri.
Sed, ne tempore non suo moreris,
Quem tot sollicitant, premuntque curae,
Iam sanctam senis osculata dextram.
Verbis rem tribus explices memento.
Dic nos sollicitos fuisse nuper,
Dic nunc incolumem videre laetos,
Dic in pubblica vota comprecari,
Ut vivat Pyliam quater senectam.

(a) Ruffum primum summum Pontificem electum , deinde morbo pene occidisse rumor caluit.

24.

Eidem Roma Neapolim reduci post electionem Pontificis Gregorii XVI.

Longum post iter, arduumque cursum
Ruffus munere sanctiore functus
Ad nos incolumis redit, citusque.
Adite hendecasyllabi, iocisque
Centum ludite, millibusque centum :
Pectori madido eruditione
Hae sunt deliciae innocentiores.
Pastori reduci hinc, et hinc frequentes
Dum sunt, qui sine fraude gratulantur,
Passim dicite quos dedit timores ,
Cum coelo hinc abiit ciente nimbos (a) ,
Passim gandia, quae attulit, referte,
Dum nos lumine nunc beat sereno.
Sit vox, quae resonet semel, semelque:
Nunquam, qua hinc abiit, dies resurgat,
Semper, qua huc rediit, dies colatur.

(a) Quo die Ruffus Neapoli Romam profectus est, horrida tempestas coelum contraxerat.

25.

Eidem ob oratorium privatum valetudinis caussa impetratum.

Humanissime Praesulum, volentem,
Ut par est, tibi gratiam referre,
Vires deficiunt. Piget, sed aram,
Quam morbus mihi saepe denegabat,
Si tu restituis, sacris diurnis,
Ut pro me referat Deum precabor,
Quem cum foenore spero redditurum.
Largitor Deus omnium bonorum
Nulli largior est, benigniorque,
Quam aegris, et miseris opem ferenti:
Dat danti deciesque, centiesque.

26

Eumdem Neapolim post decennium reducem meis Philosophiae elementis donaturus.

Dono si tenues meos libellos,
Antistes, tibi nec satis politos,
Nec dignos hominum eruditiorum,
Ne me, te rogo, dixeris superbum:
Quod tempus vetuit dicare, dono (a).

(a) Cum Ruffus Neapoli abesset Philosophiae elementa praesuli Bernardo *della Torre* Vicario generali inscripta edidi. Quae Ruffo absenti dedicare non licuit, reduci donanda censui.

27.

Eidem Institutioni pubblicae Praefecto.

I, Ruffum pete, Musa, qui secundus
Est nulli, et sibi comparatur uni
Forti pectore, fronte liberali,
Sanctis moribus, integro pudore:
I nostras age gratulationes,
I, fer publica vota civitatis
Poscentis Pyliam patri senectam.
Ruffus, cum stygiae paludis hydra
Foedis flatibus inquinaret orbem,
Nostris expulit, arcuitque terris:
Ruffus, cum faceret dolosa fucum
Incautis, vigil, impigerque cavit,
Ne tetrum biberet juventa virus:
Ruffus nunc juvenum Institutioni
Unus praesidet. O gregem beatum!
O factum lepidum, diemque laetum!
Iam nullae insidiae, lupique nulli,
Iam nullae poterunt nocere fraudes.
Ruffus pascua laetiora praebet,
Et fontes aperit salubriores.
O factum lepidum! O gregem beatum!
I, Ruffum pete, Musa, qui secundus
Est nulli, et sibi comparatur uni,
I nostras age gratulationes,
I, fer publica vota civitatis
Poscentis Pyliam patri senectam.

28.

Francisco Colangelo, Stabiensi Episcopo, Institutioni pubblicae Praefecto meas Terentii fabulas dicaturus.

Morbi ut taedia longa sublevarem ,
Coepi vertere fabulas Terenti (a) :
Absolvi, et tibi dedico mearum
Unum praesidium, decusque rerum :
Tu nugas aliquid meas putasti.
In me tot bene facta contulisti ,
Quot nullis valeam modis referre ;
At saltem cupio memor videri.
Si fronte excipies meos libellos ,
Qua me non semel excipis, semelque ,
Conatus nihil invidos timentes
Et haec, et veniens videbit aetas.

29.

Eidem, cum Logicae, ac Metaphysicae cathedram in Regio Gymnasio mihi deberi retulit. (b).

Quod, Praesul, tibi debeo, volebam
Dignis dicere versibus: Thalia

(a) Anno 1825 diuturno morbo iactatus Terentii fabulis vertendis operam dedi.

(b) Retulit v. Non Mart. an. 1827.

Nostris sarcina sustinenda nervis
Non est haec, ait, et iubet silere.
Ungues rodere desii, satisque
His absolvere rem modis putavi:
Quod, Praesul, tibi debeo, Thaliae
Non est sarcina sustinenda nervis.

30.

Xaverio Durinio, Aversanorum Antistiti, qui ob mea Physicae elementa eius hortatu, sumptibusque latine edita candelabris argenteis me donavit.

Disertissime Praesulum, putasti
Quae scripsi esse aliquid, mihique claro
Tuo nomine nomen addidisti.
Inscriptos tibi qui probant libellos,
Doctum iudicium tuum sequuntur.
Debebam tibi plurimum: volebam,
Quas re non poteram referre grates,
Verbis reddere: non datur potestas:
Urges muneribus, novisque vinclis
Gaudes nectere iam satis ligatum.
Quo nunc me licet expedire pacto?
Vel quo munere te remunerabor?
Ingratum facis esse non volentem.

31.

Philosophus, et Christianus.

Cum multumque, diuque cogitassem
Qua sint denique pensitanda lance,
Quae mundi bona quisque concupiscit;
En quem denique calculum recepi.
Plenos qui Sophiae resumsit haustus,
Assis unius aestimanda censet.
Christum qui petit, antequam sequatur,
Flocci non facit, abdicatque prorsus (a).
Nihil tristius, inficetiusque,
Nihil fluxius est, caduciusque.
Solent artibus improbis parari,
Curis non sine parta possidentur,
Cum reris minus, avolasse cernis.
Ergo, qui sapit, alter est, et alter;
At sero videt optimus sophorum,
Quod Christi videt, efficitque tiro.

32.

Peccatum, non poena facit miseros

Impune in scelus omne dum ruebat,
Miratus sibi quidlibet licere,

(a) Christianus in baptismate satanae, operibus, et pompis eius abrenunciat.

Hoc vere est, Nero dixit, *imperare* (a)
Idem, cum sibi detrahi videret
Viventi imperium, relictus inquit:
Hoc vere est miserum esse, perditumque (b).
Novit se Nero, seriusque novit.
Non fecit miserumque, perditumque,
Qui dixit patriae senatus hostem (c):
Iam se fecerat ipse, cum putavit
Nihil, quod sibi non liceret, esse.
Peccatum miseros facit nocentes,
Non quae denique poena deprehendit.

33.

Amicitia medicorum fugienda. (d)

Amicos mihi cura comparandi,
Dum vixi, potior fuit, priorque.
Adiunxi omnigenos, et undecumque
Subtristes, hilares, graves, facetos,
Imberbes, iuvenes, viros, senesque,
Patronos, medicos, sophos, poetas,

(a) *Negavit quemquam principem scisse quid sibi liceret.* Suet. Vita Ner.

(b) *Se vero praeter caetera inaudita, et incognita pati respondit, qui suum imperium vivens amitteret.* Suet. ibidem.

(c) *Legitque se hostem a senatu iudicatum, et quaeri, ut puniatur more maiorum* Suet. ibid.

(d) Cum gravi morbo premerer, amico medico utebar. Nec muneribus, nec nummis obtinere potui, ut frequentior me viseret. Interea amici medici, qui singulis pene diebus me adibant, vel abfuere prorsus, vel rarioros visi sunt.

Nummatos, inopesque, nobilesque,
Urbanos, nitidosque, rusticosque.
Quid quisque ingenio, quid arte possit,
Cui te clauseris, explicesve totum,
Quem prorsus fugiasve, seligasve,
Usus me docuit satis probatus.
Si vis vivere, si cupis valere,
Numquam cum medicis habenda res est.
Obtrudunt *recipe hoc, et hoc* valenti:
Aegrum visere, ni voces, recusant:
Nihil convenit, omnibus vocatis:
Unum selige, caeteri susurrant.
Quid is, quem statuis tibi Galenum?
Ne te deserat, infrequensve visat,
Nulla sedulus obtinebis arte:
Preces praeterit aure contumaci.
Mittis munera: non capit libenter:
Das nummos: ait esse non honestum.
Dum quo Protea vinculo tenebis
Frustra tecum agitas, domum stat ante
Ferox Persephone, foresque pulsat.

34.

Vita caelibis (a)

Vitam vivere caelibem parasti :
O factum bene, strenueque factum !
Latratrix (b) aberit domo perennis.
Securos tamen haud putes licere
Somnos carpere. Quid fugis charybdim ,
Si in scyllam ruis ? Imminent tot hostes ,
Quot consanguinei tui feruntur.
His, his ut caveas, satis cavendum.
Nemo, si indigeas, dabit trientem :
Omnes, si quid habes, hiant, petuntque.
Neges : improbus audies, ferusque.
Dabis : nullus erit modus petendi ,
Et, quod Xenocrati iecur cieret ,
Dum fructus rapitur tui laboris ,
Aures perpetuis sonant querelis:
Spem mentitur ager, molesta lis est,
Fur evertit opes, domum ruina ,
Et casus alii periculorum
Succedunt sibi singulis diebus.

(a) Consanguinei solent esse caelibis hostes acerrimi. Felices qui hanc pestem experti non sunt: at vel nullos, vel paucos admodum reperiri arbitror. Homines eiusdem indolis sunt fere omnes: oblatae praedae facile inhiant.

(b) Uxor canis instar domi latrare solet.

Sed nolo mihi oblatratricem in aedem intromittere.

Plaut. mil. glor.

Perit res tua, neminique prodest :
Tu fraudas genium: tui, quod aegre ,
Guttatimque tuae paras senectae,
Indulgent vitiis, inertiaeque.
At saltem referunt, aguntve grates ?
Nemo est, qui tibi debeat vel assem :
Tu vel quod comedis, bibisque, debes :
Carens coniuge, liberisque, iure ,
Quod cuique est proprium, cares fruendi (a).
Quisque denique plus sibi relictum
Sperans, si pereas; cupit, studetque ,
Quamprimum ut pereas, nec erubescit ,
Nec est cautio sentias, aitque :
Huius vulturis hoc erit cadaver.
Corvos fallere fac scias hiantes.

35.

Vis, et favor.

Ne morosior indigeret aetas,
Dum vixit, studiisque, litterisque
Totis viribus Impiger vacavit.
At quos denique protulere fructus
Lustrorum sibi plurium labores ,
Et vis, et favor abstulisse gaudent,
Et, quod bile iecur facit tumere ,

(a) Ius fruendi commune est , at vel hoc carere caelibem putant avidi haeredes.

Ne qua iniuria facta diceretur,
Summus exoritur, caditque coelo
Qui solus sapit, eminetque solus.
Hic ut in vacuum venit, capitque
Iusta, quod lubet, occupatione.
O quae tempora! quae ruina morum!
Dum vis, et favor impetu feruntur,
Et, solatia quae forent senectae,
Iubent praeripere impudentiores,
Cur bonas iuvenes sequantur artes?

36.

Qui titulis inhians nec valetudini, nec honestati consulit, stultissimus est.

Inclarescere cogitat Lupercus,
Unumque hoc agit, hoc laborat unum,
Movet quos lapides potest movere,
Noctu nititur impiger, diuque,
Malis artibus abstinere nescit.
Fit clarus titulisque, honoribusque,
Sola qui cruce dignior fuisset,
Nec se denique respicit, novosque
Affectat titulos, novosque honores,
Unumque hoc agit, hoc laborat unum,
Movet, quos lapides potest movere,
Noctu nititur impiger, diuque,
Malis artibus abstinere nescit.
Hydrops dum sitiens, bibensque crescit,

Nec finem facit interim bibendi :
Montis dum super arduum cacumen
Saxum tollere Sisyphus laborat ;
Tabescit miser, adspicitque sero
Se falsa ob bona vera perdidisse.
Est virtus caput omnium bonorum ,
Bonumque est potius salus, priusque.
Qui malus caret hac, et hac per artes,
Et fulget titulisque, honoribusque ,
Conspectum facit improbi cadaver ,
Et dignam ciet execrationem.
Quam stultum male calculus fefellit !

37.

Mundus non theatrum, sed macellum dicendum est.

Mundum credidit esse qui theatrum ,
Rem, me iudice, non putavit ipsam :
In mundo laniique, victimaeque
Sunt, quot sunt homines mali, bonique.
Quo quisque est meliorque, sanctiorque,
Mactatur citiusque, diriusque.
Dirum dicere debuit macellum.

*

38.

Ut quisque est, alios videt.

Si dico tibi Caius est scelestus ,
Scelestissimus est ais, Luperce.
Si dico bonus est, Luperce, Caius ,
Ne credam nimium mones colori.
Vis credi bonus, et malus probaris :
Ut quisque est, alios solet videre.

39.

Improbi omnia sibi licere , probi parum decere putant. (a)

Improbi mihi bella suscitantes ,
Nil est, quod sibi non putant licere ,
Armisque omnigenis petunt, premuntque.
Oblatum auxilium probi ferentes ,
Est parum, sibi quod putant decere ,
Et scuto tenui tegunt, brevique.
In certamine non paris duelli
Sors me denique, quae solet, manebit.
Non miror mihi, quod solet, futurum ,
Miror, quod soleat, dolet, queror que.

(a) Facilius improbos laedere, quam bonos auxilium ferre non semel expertus sum. Hac praecipue de caussa fieri solet , ut improborum audacia quotidie augeatur.

Si prudentior, expeditiorque
Esset calculus improbi, probique ;
Alter nil sibi diceret licere,
Alter plus sibi cerneret decere.
Ut vexet malus innocentiorem,
Uti viribus haud licet vel aequis :
Ut bonum bonus erigat cadentem,
Decet, quas habet, explicare vires.
Haec sententia si magis placeret,
Vel nusquam caput improbi levarent,
Vel sectis cito cornibus iacerent.

40.

SS.^{mae} Virginis patrocinium.

Divinam quoties opem rogare
Vitae summa iubet laboriosae,
Sanctae Virginis invocare nomen
Mos est, quae facilis favet patrona.
Nam, dum fulmineis rubet sagittis
Quae me dextera territat Tonantis,
Vires sufficit, erigitque Virgo,
Iratumque Deum facit benignum :
Exorat facile patrona natum,
Nato iudice si patrocinatur.

41.

Christi Passio.

Eheu ! sol caput aureum recondit !
Heu ! tellus ruere in chaos minatur !
Tristes dicite cogitationes
Quis opprobria, contumeliasque
Tot unus patitur, quot ante nulli
Pati contigit impudentiori ? —
Qui humanam Deus induit figuram —
Cur turpi a cruce pendet, et latrones
Inter sustinet interire Numen ? —
Ut primi scelus expiet parentis —
Quis caedi iubet, et iubet necari ?
Quis sputis, alapisque, sentibusque
Illudit capiti innocentiori ? —
Est homo necis auctor, et minister —
O feris homo peior Africanis !
O nulla scelus hostia expiandum!
Quid audacius, impudentiusque ?
Quid crudelius est, ferociusque ?
Sol condit caput aureum, quod horret
Testis criminis esse tam nefandi :
Quae tellus ruere in chaos minatur,
Odit, dum fremit, excutitque tergo ,
Quod est nescia sustinere pondus.

42.

Verus Christianus est vere beatus.

Vitam vivere qui cupis beatam ,
Noli credere somniis sophorum :
Vel dant, vel tibi verba pollicentur.
Verus qui studet esse Christianus ,
Vera perfruitur beatitate.
Certus numinis accidisse nutu
Quidquid acciderit boni, malique ,
Securus videt, et nihil secunda ,
Fortuna nihil improba movetur.
Hic fons, et caput est beatitatis.

43.

Expedit esse Christianum.

Cum sit vita hominis σκοπος malorum ,
Quemvis expedit esse Christianum.
Christi discipulus crucem ferentis ,
Quae crux est sua, suscipit libenter.
Hinc et spe mala temperat bonorum ,
Et vitae bona praecipit futurae.
Si felicior est, beatiorque ,
Qui, horas dum numerat nigras, et albas ,
Nigras invenit esse pauciores ;
Quemvis expedit esse Christianum.

44.

Malum, quod invaluit, aegre vellitur.

Qui Sodalitium vetus regebat
Clarum nomine, dotibusque centum,
Cum, legens socios ineptiores,
Plures sordibus inquinasset annos;
Sensit denique, credidítque posse,
Si rursus legeret bonos sodales,
Rursus reddere pristino nitori.
Dum pars integra, quae silens fremebat,
Plaudit consilio salubriori,
Pars ineptior, inficetiorque,
Pallet, rumpitur, obstrepit, minatur.
Qui iustum fremitum aestimarat assis,
Movetur strepitu impudentiore.
Hic miri nihil accidit, novique.
Vult sui similes bonus, malusque,
Et suas petit hic, et hic per artes.
Quod longum invaluit malum per usum,
Frustra, vellere qui cupit, laborat.
Dum modestia laeditur, siletque,
Impudentia laedit, obstrepitque,
Quam nos vidimus usque firmiorem
Hydram crescere, posteri videbunt.

45.

Marchioni Francisco, Xaverio et Equiti Aliosio Marchionis Ioannis FF. De Andrea.

Ohe iam satis est, satis, satisque,
Par fratrum titulisque, honoribusque
Centum nobile, millibusque centum,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Tot factis bene, fronte sic amica,
Tanto me excipitis favoris aestu,
Clamandum ut mihi terque sit, quaterque:
Ohe iam satis est, satis, satisque,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Exceptus bene, comiter, venuste,
Parem reddere gratiam tenetur.
Vos, dum reddere cogito, pigetque
Nullis posse modis; novis, novisque
Nexum pergitis obligare vinclis.
Ohe iam satis est, satis, satisque,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Qui reddi sibi, quod dedit, recusat,
Solvendo facit imparem, bonumque
Ingratum iubet esse, vel videri:
Turpi hoc stigmate me pudet notari.

46.

Ingratus scelestissimus est.

Quidam nobilis, elegans, pudicus
Totum se mihi tradidit, nihilque ,
Me totum ut sibi traderem, reliquit.
Post paucos facerem dies rogavit ,
Ipse quod mihi forte denegassem :
Nec res, nec fieri salus sinebat.
Excussi loculosque, sacculumque ,
Obieci caput omnibus periclis ,
Fit voti penitus, citoque compos.
Hic vir nobilis, elegans, pudicus,
Qui spondens maria, aureosque montes ,
Se gratum, memoremque dictitabat ,
Ut factum satis est (pudet referre)
Obliviscitur omnium, negatque
Dictam reddere, si videt, salutem.
Qui vos hendecasyllabi soletis
Quot mihi obveniunt referre casus ,
Nulli hunc dicite : neminem scelestum ,
Cum se cerneret esse nequiores ,
Suorum scelerum satis puderet.
Nil mores magis, Ethicamque turbat.

47.

Litterarum neglectus.

Quas natum genitor doceret artes
Virum consuluit satis probatum.
Cum proponeret hic tuas, Minerva,
Ridet sollicitus senex, aitque:
Non cogam pater esurire natum.
Horum quem fatuum fuisse dices?

48.

Litteratorum inopia.

Sutor quinque sibi, faber triginta,
Caupo bis totidem, quater lanista,
Mercator deciesque, centiesque
Culti iugera comparavit agri.
Qui noctesque, diesque dat Minervae,
Rem postquam sibi vendidit relictam,
Habet, quod comedat, nihil, bibatque.
Haec sunt saecula vera litterarum!

49.

Docti, ac boni, fatui, ac scelesti.

Orator sitit, esurit poeta,
Et sophus simul esurit, sititque.
Graecatur fatuus, nitet scelestus,
Et pollent opibusque, viribusque.
Omnis fabula temporis, locique,
Haec est, haec fuit, haec erit futura.
Orator nitide loqui laborat,
Sectatur steriles poeta frondes,
Inquirit sophus, edocetque verum,
Adorat fatuus potentiores,
Rem quocumque modo facit scelestus.
Naturae statuunt, iubentque leges
Fructus seminibus suis parari.

50.

Qui omnia se scire iactitant, sunt pestis litterarum.

Nec mens, nec mihi defuit sciendi
Ardor perpetuus, librosque volvens
Lustra iam duo condidi, novemque.
Si quis denique quid sciam rogaret,
Nil cum Socrate cogerer fateri,
Ni nossem omnia scire iactitantes.

Hi sunt, quos scio, damno, indicoque
Premendos odio Vatiniano.
Insulsi, sapidi, leves, gravesque ,
Mendaces, tumidique, garruliqne,
Sunt pestis mera, pusque litterarum.

51.

Optimae caussae pessimus patronus.

Quae tu praemia postulas laborum,
Quamvis debita, non feres Phidippe ,
Nescis tempora, temporumque leges.
Non vis conscius esse, displicetque
Uti fraudibus, artibusque pravis :
Caussae es pessimus optimae patronus.

52.

Virtus laudatur, et alget.

Virtutem sequeris, sapisque, Iuli :
Virtute est melius nihil, priusque.
At semper nihil esse ne graveris :
Sint mores tibi, lingua sit, fidesque ,
Nulli es conscius, indicasque nullum :
Tristi traderis esuritioni.
Plus, qui plus cruce dignus est, meretur.

53.

Veritas odium parit.

Si veri species, quot esse possunt,
Collectas mea dextra contineret,
Claudendam mihi dexteram putarem :
Impune haud licet explicare verum.
Nomen Socratis audio libenter,
Fatum deprecor, et ciere nolim
Melitis stomachum, Lyconibusque.

54.

Ignorantia praecipua est malorum caussa

Cum Crassi manus immineret hosti
Instructa, ut facile fugare posset,
Ficus vendere qui senex solebat,
Pleno gutture *Cauneas* sonabat (a).
Eas ne cave, diceret putavit.
Vocem credidit ominis sinistri,
Pugnam territa miscuit, necemque
Fracta non solito tulit pavore.
O stultas hominum, levesque mentes !
Dum falsam satagunt cavere scyllam,
In veram miserae ruunt charybdim.

(a) Ficus Cauni.

55.

Miracula temporum.

Qui, verba ut duo iungeret, solebat
Meo uti calamo, meaque dextra,
Cum munus sibi forte comparasset,
Scriptor credidit esse tam disertus,
Ut vel me, et mea scripta iudicaret.
Si miracula temporum sciebam,
Neglectis studiisque, litterisque,
Emendo mihi muneri vacassem:
Mente, et corpore fortius valerem.

56.

Puellae scyphis similes.

Qui dixit similes scyphis puellas,
Rem, me iudice, rite cogitavit:
Esse in perpetuo solent periclo.

57.

Fabula vitae.

Valet, rem facit, et dies beatos
Agit pessimus omnium Malinus:
Cubat, diripitur, trahitque tristes

Horas optimus omnium Bonanus:
Videt Simplicius, stupet, doletque :
Ridet Perfidius, sibique plaudit.
Haec est, quae semel acta, quae reponi
Solet fabula singulis diebus.
Non paucos scio comicam putasse ,
At dicunt tragicam magis diserti.
Si in scena iugulant bonos scelesti ,
Dolens, et lacrimas ciens Thalia
Soccos exuit, induit cothurnos.

58.

Ratione uti, ac non uti periculosum est.

Vexatur probus, improbusque floret !
Haec est, quam repetunt boni querelam
Omnes, undique, singulis diebus ,
Cum sol nascitur, et cadente sole.
Si sedes Deus occupat supernas ,
Aequo si regit universa nutu ,
Cur mundi bona praeda sunt malorum ?
Qui in vita hos ait altera manere
Certum supplicium, secare nodum ,
Non dissolvere gordium videtur.
Si vel hic sua poena, praemiumque
Non claudo pede quemque consequatur ,
Fortassis minus improbus, magisque
Auderet bonus, et magis saluti
Alter consuleret, caveret alter.

Haec, et talia saepe iactitavit,
Cui sola est ratio magistra vitae;
At fax est ratio satis dolosa:
Fallit, si nimis arceas, nimisque,
Fallit, si admoveas nimis, nimisque.

59.

Homo a mundi malis probatur.

Quae in mundo mala cernimus, movere
In rerum dominum solent querelas.
Nil est turpius, impudentiusque.
Ut aurum probat ignis, hic probare
Solent nos mala, quos manet probatos
Domus pulchrior, elegantiorque.
Quare, quod gravius malum videtur,
Maius, si sapimus, bonum putemus:
Nos purgat citius, viamque in aulam
Coelestem facit expeditiorem.
Qui *haud parcas mihi, sed seca, sed ure*
Praesul cum lacrimis Deum rogabat,
De mundi melius malis putavit,
Quam Crantor, Plato, porticusque tota.

60.

Ruina improbi nil prodest bono.

Debebat mihi qui patrocinari ,
Caussam prodidit, et mei laboris
Fructus carpere passus est rapaces.
Turpe post scelus impudens patronus
Perculsus subita cadit ruina.
Dum tota calet hic in urbe rumor ,
Et de funere pars ovat scelesti ,
Pars quod gratuler, accidisse dicit ,
Quid me, quid iuvat improbi ruina ?
Vixisset sibi non malus, mihique,

61.

Non vivere, sed mori videmur.

Illos cum nemini meos sodales ,
Quos teterrima sustulit sororum ,
Nigri scandere iam senis carinam ,
Iam pigros videor secare fluctus.
Dum currunt rapidi dies, et anni,
Praedantur tenuem, brevemque vitam :
Vix nati iuvenes sumus , senesque ,
Et turba veniente submovemur.
Heu ! non vivere, sed mori videmur.

62.

Non est vita spernenda, sed mors non timenda.

Vitam spernere iactitas, putasque
Sic te philosophum merum probare:
Quantum deciperisque, fallerisque!
Vitam perditus, impiusque spernit,
Boni est vivere, nec timere mortem.

63.

A fabulis praecepta vitae hauriuntur.

Iunonis, Venerisque, Palladisque
Phryx litem Paris aestimasse fertur.
Secundum Venerem dedit, domumque
Graecam duxit adulteram, Dearum
Neglectis opibus potentiorum.
Dum raptor putat esse se beatum,
Instant Argolicae manus, facesque,
Ingenti cadit Ilium ruina,
Et turpes subeunt Phryges catenas,
Ferrum, flammaque si quibus pepercit.
Incauti mala quot sibi, suisque
Procurent iuvenes libidinosi,
Una quam bene fabula monemur!

Quid dicas meliusque, fortiusque
Chrysippum monuisse, Crantoremque?

64.

Somniorum fallacia.

Lupercus populum sibi subesse
In somno videt: omen hinc futurae
Gloriae capit, incipitque rebus
Novis, qui sibi vixerat, studere.
Sed, dum spes animo leves volutat,
Et pennis petit astra destitutus,
Deprensus, cruce pendulusque ab alta
Spectantem populum subesse cernit.
Portendit bene somnium Luperci!

65.

In Largi tumulo.

Hoc Largi cineres tegit sepulchrum:
Nemo plus operae dedit Minervae,
Nemo plus doluit dedisse frustra.
Nomen si excipias,, σοφοςque inane,
Sola incommoda litterae dederunt.

66.

Idem.

Plus Largi lapis hic monet, viator,
Quam vox ter docuit decem per annos,
Professor Sophiae, Matheseosque,
Antiquae fidei, haud malus sodalis,
Notus pluribus editis libellis,
Solam non tulit esuritionem,
Solos non habet hic canes molestos.
Quod fructum scelus abstulit laborum?
Vixit temporibus malis, malasque
Vitam ducere noluit per artes.

67.

Paullo de Aretio a secretis Institutionis publicae

Acri iudicio exigente tristes
Cives ad trutinam severiorem,
Dum, quisquis tetricae vacat Minervae,
Transactam satagit probare vitam,
Areti, sceleris, notaeque purus
Nil conscit sibi, nil putat timendum.
At, quae bellua lividum canino
Rictu iactitat hinc, et hinc venenum,
Securum videt, impetitque inermem.

Dum plaudunt sceleri mali, invidique ,
Dum boni trepidant, fremuntque cives ,
Areti, cape tela, belluamque
Trans ripas prohibe furentis Orci.
Te virtus tua, traditumque munus ,
Te ad bellum vocat hoc quies bonorum.
Uno quot bona comparabis ictu !
Quot pelles mala! quos feres triumphos !
Cum tandem, duce te, vetus redibit
Iactatis decus, otiumque musis ,
Has voces referet chorus sororum :
Si in rerum vicibus periculosis
Impune placidis frui diebus
Virtuti licet, innocentiaeque ,
Totum muneris est Aretiani,

68.

Senex, et puer iter facientes.

Iter dum faciunt senex, puerque ,
Unusque est asinus, notatur alter ,
Ire si finit alterum pedestrem :
Unum se puer inspicit, senexque.
Neuter insilit, aut uterque asellum :
Idem flagitium duobus haeret :
Indulgent asino nimis, nihilve.
Quicquid nos facimus potest notari.
Late, si tibi displicet, vel audi
Latrantes catulos velut Diana.

69.

Cucurbita

Arbor se erigit haec, et haec: iacere
Me natura iubet! dolet, catasque
Has cucurbita se erigit per artes.
Humi subdola serpit, implicatque
Quam primam videt arborem, suoque
Amplexu tenet, altiorque surgit.
Sensim denique vertice occupato,
Spernit hinc humiles superba plantas.
Surgit qui obsequiis, humique serpens,
Ut cucurbita surgit impudenter.

70.

Passeres

Torrentur face mutua, simulque
Semper sunt duo passeres, ut alter
Sit vita alterius, lepor, voluptas.
Dum putant minus, aucupis latentes
Cadunt in laqueos, simulque eadem
Clauduntur cavea. Beatiores
Coniunctos fore quisque iudicasset;
At nihil minus accidit: repellunt
Quanto se studio prius petebant.
Sponte quod facimus, placetque factum,
Si vi cogimur imperante, sordet.

71.

Cervus

Cervus, se vitream videns per undam,
Laudat cornua pulchra, despicitque
Exiles, tenues, levesque suras.
Hic venator adest, canesque latrant,
Committit cito cruribus salutem.
Iam spissum dederat nemus, sed inter
Vepres cornibus implicatus haeret,
Praedamque inveniunt canes paratam.
Quam stulte sibi consulit, suisque,
Qui pulchra utilibus putat priora.

72.

Nux

Nux frutex humilis fuit, suasque
Vel carpi a pueris nuces dolebat.
Arbor ut fieret, Iovem rogavit.
Crevit iuncta viae statim, statimque
Saxis a pueris fuit petita.
Voti poenituti, suique frustra.
Dum ludunt pueri, nucesque poscunt,
Saxis perpetuis nucem flagellant.
Suo ex ordine qui recedit ultro,
Occurrit quibus haud putat ruinis.

HENDECASYLLABORUM

LIBER II.

I.

Ad lectorem.

Videre hendecasyllabos scatentes
Centum blanditiis, iocisque centum,
Et pars maxima credidere vatum
Ministros Veneris, Cupidinisque
Solis lusibus esse destinatos.
Sic qui femineo nitere cultu
Vidit qui Thetidis puer latebat,
Natum deliciis putavit unis
Illum, quo sine Troia non ruisset.
Error, qui vetus est, solet foveri:
Auget, non minuit fidem vetustas.
En ego hendecasyllabos in omnes

Verti ut Protea, nec piget, figuras.
Riserunt facilesque, amabilesque,
Luxerunt lacrymis genas rigantes,
Quos virtus parit, extulere fructus,
Torsere in vitium graves sagittas.
Facti non semel arrogantiores,
Ausi Principibus placere summis,
Partas frontibus obtulere lauros.
Id vertunt vitio minutiores,
Et magna haud minui licere parvis
Clamant carminibus. Prior modorum
Si dos est numerusque, mensioque,
Non sententia, visque syllabarum,
Hoc me a crimine, si advocentur umbris
Non solvent Periclesque, Tulliusque.

2.

Gregorio XVI. Pontifici Maximo, communi catholici nominis parenti (a).

Praesul maxime, Praesulumque Praesul,
A quo Ecclesia tota mutuatur,
Quam communicat his, et his salutem;
Orbis si tibi debet universus
Quod lucis iubar undecumque spargis,
Debet praecipue auspicatiore

(a) Hendecasyllabi numeris 2. 3. 4. 5. prodiere anno 1833. in opusculo, cui titulus *Monumentum publicae laetitiae.*

Luce quae micat, eminetque Siren ,
Dum demtum sibi Praesulem dolebat ,
Ut solet pia nata, cui parentes
Manu sustulit Atropos rapaci ;
Qui solus potes, erigisque solus
Rite qui tibi supplicant iacentes ;
Urbem non modo delicatiorem
Donas praesule praesulum nitore ,
Sed addis decori decus, novoque
Donas murice purpura nitenti.
O mirae specimen benignitatis !
Non haec, non veniens silebit aetas.
Vulgo dant homines minus petito ,
Plus dant Numina sola, quam rogantur ,

3.

Ferdinando II. utriusque Siciliae Regi

P. F. A.

Rex regum soboles, decusque regum ,
Qui vernantibus explicas in annis
Quam rex in populis senex regendis
Nullus explicuit sagacitatem ;
Centum si tibi, centiesque centum
Pro factis bene gratias rependit ,
Pro asserta sibi dignitate Siren
Unum te modo vindicem salutat.
Rapto praesule, purpuraque rapta

Ruffi in funere, fletibus rigabat
Genas pallidulas, venustulasque:
Tu luctu haud finis obrutam iacere.
Accurrit cito te petente Praesul,
Quo non sanctior est, peritiorque,
Atque hunc purpura te statim petente
Ornat pulchrior, eminentiorque.
Te, gesta et tua firmiore plectro
Dicat qui Aonio calet furore:
Lene ego ingenium, piumque laudo.
Tam te Pontifici probare nosti!
Tanta te pietas movet, cietque!
Magnus rex homini solet placere,
Placet rex homini pius, Deoque.

4.

Philippo Iudiceo Caracciolo, e Principibus Cellamarensium, et Villensium, Ducibusque Gessensium S.R.E. Cardinali, Archiepiscopo Neapolitano.

Praestantissime Praesulum quot esse
Vident tempora nostra, quotque vidit
Aetas pulchrior, innocentiorque;
Dum plaudit sibi quisque, praedicatque
Genus dotibus inclytum trecentis,
Clemens ingenium, integrosque mores,
Et quae munera sponte te sequuntur,
Et quos praecipis hinc, et hinc favores,
Stupet te mea, non canit Camoena,
Non plaudit tibi, iure gratulatur.

Dum te gloria circuit, tuamque
Spargit lumine puriore frontem,
Auget Rex titulis, honoribusque,
Sacro murice Pontifex coronat,
Et suum populi vocant leporem,
Nil tantum decus excitat, nihilque
Tantus te quatit, erigitque plausus!
Laus est Principibus viris placere,
Fungi munera delicatiora,
Ornari titulis, suis probari:
At flecti nihil his, nihilque tangi
Haec est gloria summa gloriarum

5.

Marchioni Ioanni de Andrea Ferdinandi II. a Sanctioribus Consiliis, ab Aerario, a negotiis religiosis, Baiulivo Hierosolymitano.

Quo te nomine, Marchio, salutem
Nescit quae mea te canit Thalia.
Genus sanguine, litterisque clarum,
Fides candida, mobilisque nunquam,
Et vitae integritas, leporque morum,
Et per te ad veterem vocata cultum
Siccis rustica veritas capillis,
Dant quibus bene quisque te salutet
Mille nomina, milliesque mille.
Quid quod singula, quae expedis, videntur
Novum protinus arrogare nomen?

Rectam si Themidis tenere lancem
Negant tempora, deseris, latesque,
At sic, dum latitas, vacas Minervae,
Ut per otia grata litterarum
Quae prosint populis pares, tuumque
Aeterna caput implicent corona.
Si licentia, calculusque mendax
Opes distrahit, atteritque nostras,
Tam reddis catus, aggerisque solers,
Privato ut nihil hinc dolente censu
Communis cito census augeatur.
Ignorantia, vel furor profanis
Permiscet sacra, concitatque turbas:
Profanis sacra dividis, statimque
Sartis iuribus hinc, et hinc, potestas
Suis utraque finibus tenetur.
Orba Praesule, purpuraque Siren,
Quod decus dolet occidisse, poscit:
Te communibus annuente votis,
Adest gloria Praesulum, nitorque,
Adest, et facili refulget ostro
Negato ante aliis, datoque nuper (a).
Te unum dotibus eminere tantis!
Res tot suscipis, efficisque solus!
Quo te nomine, Marchio, salutem?

(a) Vincentius Monfortius Archiepiscopus Neapolitanus sacram purpuram non obtinuit. Idem Seraphino Filangerio obtigerat. Franciscus Serra Archiepiscopus Capuanus paullo ante romana purpura insignitus erat.

6.

Ludovico Alterio Gregorii XVI. Pont. Max.
ab intimo cubiculo (a)

Alteri, ob tenuem meum libellum
Oblatum Domino, Deoque nostro,
Ob sensus animi benignioris
Monstratos mihi maxumi Parentis,
Ago quas nequeo referre grates.
At brevi, simul ac nitebis ostro,
Quae nunc se mea continet Thalia,
Dum plaudet tibi Roma, gestietque,
Te, tuos titulos, tuosque fastos
Lecto carmine, vividoque dicet.
Utatur numeris licet pusillis,
Cum facti bene vult memor videri,
Vocem nescia continere tollit.

(a) Vir clarissimus oblato summo Pontifici *Monumento publicae laetitiae*, eius iussu epistolam mihi scripserat, quae indulgentissimi principis benignitatem, ac benevolentiam testaretur.

7.

Gregorio XVI. Pontifici Maximo (a)

Praesul maxime, ne, meos libellos
Tibi sistere si audeo, graveris :
Ingens ut scelus expies, precantur.
Honesto, ac humili parente nati
Oderunt forulos, quibus latebant.
Prodire ut sine sordibus liceret,
Mihi non fuit hora, qua vacarem,
Plenus sacculus est aranearum.
Gratos denique spes erat futuros.
At o tempora, temporumque mores!
Dum domus patet haec, et haec, favetque,
Et sinu excipiunt potentiores;
Captantes sterilem, levemque plausum.
Viderunt taciti patrem iacere,
Nullam reddere gratiam minati.
Nunc septem properant adire colles,
Et tibi cupiunt scelus fateri.
Praesul maxime, summa cui potestas
Solvendi datur, et datur ligandi,
Factum dummodo sit satis parenti,
Turpi a crimine solve poenitentes.
Hoc solus potes expiare monstrum.

(a) *Monumentum publicae laetitiae* Summo Pontifici placuisse certus, opera mea reliqua hac epistola offerenda censui.

8.

Constantino Patritio Pontificiae Domui Praefecto,
nunc S. R. E. Cardinali (a)

Praesul inclyte, qui suum supremo
Optant Pontifici scelus fateri,
Ad sacros cito duc pedes libellos:
Fassi crimina rite sublevantur.
Ingrati proprio fuere patri,
Qui, ut essent nitidi, nihil crumenae,
Labori nihil improbo pepercit.
Nunc piget sceleris, dolentque tandem
Illi nec facilem parasse victum.
Praesul inclyte, ne suae salutis
Spe cadant, miserere, supplicesque
Ad sanctos cito dùc pedes libellos.
Sunt acres animi, trucesque morsus,
Fassi crimina rite sublevantur.

(a) Scripsi, cum, mea opera summo Pontifici sisteret, rogavi.

9.

Gregorio XVI. Pontifici Maximo (a)

Dum vivo studiisque, litterisque ,
Nil sum, nil cupio , nihilque spero ,
Vices qui geris impiger Tonantis ,
In me lumina vertis, eruisque
A Lethes quibus obruor lacunis.
O factum lepidumque, scitulumque !
O dies mihi pulchrior trecentis !
Sic qui sol radios iacit micantes ,
Quas videt tenebras, facit nitere:
Sic Deus nihil adspicit, nihilque
Edit semina pulchriora vitae,

10.

Herculanensis Academiae Sociis (b).

Qui ad vitam revocant venustiorem.
Quod Vesuvius obruit, nigroqe
Tempus tegmine texit Herculanum,
Me docti socium vocant laboris.
Hos Prometheas, hos adi, Thalia ,
Et tantum mihi quae decus parasti ,

(a) Scripsi summo Pontifici cum cubicularium honorarium in puniceo habitu me nominare dignatus est.

(b) Scripsi Herculanensis Academiae socius nominatus.

Gratias age, quas nequis referre.
Qui; quod solvere non potest, fatetur,
Gratumque, et memorem se ait futurum,
Solvit quo pretio potest, manetque
Ligatus laqueo tenaciore.

II.

Arcadum Academiae
Odimetus Coroneades (b)

Quo vos munere quo remunerabor,
Qui Coroneades dedistis agros,
Cum primum mihi nomen Odimeti
Luco in Parrhasio sonare coepit?
Si sunt carmina vis, opesque vatum,
Et quae vis secat una suscitantes
Alas temporis omnium ruinas,
Et quae opes velut ignibus caducis
Insultant opibus potentiorum;
Placet carminibus remunerari.
Fastos Arcadiae canam perennes,
Dicam quos coluit, tulitque cycnos,
Quot lingua cecinere dulciores,
Quot nunc sunt aliis magis venusti.
Mecum sic ego, traditos honores
Cum scriptae mihi litterae probarunt;
At ingens opus adgredi minatus

(b) Scripsi Academiae sociis, cum mihi pastori extra numerum nominato eadem die Coroneades agros signarunt.

Magnitudine territus recessi.
Saepe nescia finium voluntas
Vires nutibus impares lacessit.
Non potest gracilis, levisque avena,
Quod nequit tuba firma, fortiorque.
Quo nunc me licet expedire pacto?
Vt gratus videar, memorque saltem,
Dicam reddere gratiam volenti
In tentamine defuisse vires.
Qui vult reddere, nititur, studetque;
Noc potest tamen, et libens fatetur,
Quod factum bene non rependit, auget.
Haec est et species solutionis.

12.

Tiberinae Academiae sociis (a)

Quae non est veteri superba fastu,
Sed doctos Tiberina per triumphos,
Quos vix edita rettulit, refulget,
(Signa nam sua gloriam coegit
Sequi protinus elegantiorem)
Adite hendecasyllabi, meique
Gratos vos animi probate sensus.
Inter nomina clara doctiorum
Nomen constituit meum referri.
Esse nil poterat magis decorum:
Numquam gratia tanta praeteribit.

(a) Scripsi Tiberinae sociis, cum me socium nominarunt.

13.

Gratiarum actio (a)

Me Acerras sibi Praesulem rogasse
Gaudes, et mihi, Paule, gratularis,
Et quod scitius est, venustiusque,
Vides me duce pristinum nitorem
Urbi restitui vetustiori.
En inscitia, dicis, exulabit,
Et fons deficiet prior malorum.
En grex pascua laetiora carpet,
Et dolos nihil hostium timebit:
Ducet strenuus, impigerque pastor
Luporum insidias cavere doctus.
Acerris ago gratias, tibique:
Pluris me facitis tribus teruncis,
At nimis celerem canis triumphum.
Ipsi fallere saepe nos solemus:
Quod lubet volumusque, credimusque.
Tu qui me bene, saeculumque nosti,
Haec tecum reputes velim, rogoque.
Praesul Philosophus potest placere?
Facit Philosopho tiara fucum?
Sinet Philosophum frequens petitor,
Urbi quae imminet, occupare sedem?

(a) Post obitum Emmanuelis Belloradi Acerrani me Episcopum postularunt. Amico mihi per litteras gratulanti scripsi.

Horum nil ego cogito futurum.
Nunquam circuit, ambiitque, nunquam
Frater praefuit, inquiunt, Modestus (a)

14.

Josepho Borghio (b)

Borghi, Pieridum decus, leporque,
Si quae *Tempora subseciva* scripsi,
Cum fuit brevis hora, qua vacarem,
Sistunt se tibi, foediumque gignunt,
Es tu, qui facis impudentiora.
Tu quos Purpura Iudicis poposcit
Putasti numeros Catullianos,
Et magni facis, aureosque dicis (c),
Norunt invida, blandulumque fratrum
Optant iudicium, fruique sperant.
Si nos Borghius, inquiunt, probabit,
Non est qui audeat improbare sanus,
Dixi ego invida, tu superba dices,
At stigma hoc grave forte non merentur:
Quis te iudice non cupit probari?

(a) Vulgo apud nos dici solet: *Fra Modesto non fu mai Priore.*

(b) Rescripsi Borghio poetae doctissimo, cum *Tempora sebseciva* ei obtuli. Is lecto *Monumento publicae laetitiae* mihi per litteras gratulatus est.

(c) Meos hendecasyllabos aureos Borghius in epistola sua vocat.

15.

Carolo Emmanueli Muzzarellio
S. R. R. Auditori. (a)

Nugas, quas ego protuti, dedique
Legendas tibi, te probasse laetor:
Utrosque id satis, et satis iuvabit:
Te, ne suscitet oscitationes,
Hora si detur ulla, qua vacabis,
Me, ne pondere quis carere dicat
Nugas quas aliquid meas putasti.
Muzzarellius artium Minervae
Peritissimus aestimavit, aiunt.
Ergo sunt aliquid. Quid est, amabo,
Quod magis tibi proderit, mihique?

16.

Equiti Angelo Mariae Riccio (b)

Ricci, deliciae novem sororum
Ignem ne fodias: latens favilla

(a) Rescripsi Muzzarellio *Tempora subseciva*, et *Monumentum publicae laetitiae* per epistolam probanti, laudantique.

(b) Scripsi, cum Aloisius e Marchionibus de Andrea, immortalis memoriae eques, mihi dixit Riccium in epistola sibi dixisse in me Catulli spiritum commigrasse.

Dira incendia forte suscitabit,
Sunt te iudice tam Catulliani,
Scribo quos ego, proferoque versus,
(De Andrea mihi sic te ait putare)
Ut qui iam tener excidit, Catulli
In me denique spiritus resurgat.
Tanto prosequeris favore vatem,
Qui numquam sibi gloriam parare,
Saeclum fallere saepe cogitavit! (a)
Quid si me ex humili facis superbum?
Quid si mordear acriore dente?
Hinc incendia dira consequuntur.
Scio me nihil esse, sed probari
Res est iudice te periculosa:
Folle hoc, qui latet, excitatur ignis.
Torqueri scio lividos, sed ictus
Quem retundere non piget perennes?
Si quid desieris, statim feriris.
Ricci deliciae novem sororum
Ignem ne fodias: latens favilla
Dira incendia forte suscitabit.

(a) Vide Lib. I. n. I.

17.

Ioachimo Peccio Pontificalis Domus Antistiti.

En, Pecci, tibi quos meos libellos
Dixisti lepidos, venustulosque.
Si spectas propius, videsque labes,
Quae fugere oculos nimis remotos,
Dum te iudicii tui pigebit,
Libellis ego iure gratulabor.
Tu fronte adspicies minus remissa,
Et quibus maculis scatent, notabis,
Paratis ego spongiis lavabo:
Prodibunt sine labe pulchriores.

18.

Angelo Maio S. R. E. Cardinali.

Mitto si tibi quos parum venustos
Scripsi versiculos, diserte Mai,
Nemo me puto dixerit superbum:
Do quod debeo, nec licet negare.
Si debent tibi litterae, quod ante
Quovis iudice debuere nulli,
Nam res publica iamdiu sepulta
Per te denique Tullii resurgit;
Est tuum genus omne litterarum.

19.

Tempora subseciva

Scripsi *Tempora subseciva*, saecli
Ut incommoda fallerem, typisque
Dedi iudice postulante amico (a).
Noster non putat, exterusque nugas,
At forte hic facit, aestimatque pluris.
Plus illi salis est, ait Lupercus,
Huic fellis minus est, Philenus inquit,
Ridet Largius, acciditque, dicit,
Vulgo quod solet: exteri probantur,
Ut functi, potiusque, tutiusque:
Hos minus timet, arripitque livor.

20.

Acrius carpit qui nihil scripsit.

Qui vitae studio severiore
Verba denique coniugare novit,
Sciendi ratus attigisse fines
Quidquid editur, arripit Lupercus.
Is carpsit quoque quas meas probarunt
Nostri non semel, exterique nugas.
Huius non piget: esca, fortiorem
Quae firmat stomachum, levem fatigat.

(a) Vide lib. I. n. 1. 3.

Quod nil scripserit ille, nilque scribat,
Huius me piget. Acer, impudensque
Carpit qui sine talione carpit :
Est asper pueris, minaxque caelebs,
Cantat, qui est vacuus, latrone coram,
Nil est Grammatico acrius dicaci.

21.

Scriptura est tabella mentis.

Legens *Tempora subseciva* Cinus
Quam cito, et male iudicamus! inquit.
En hae sunt tenues, levesque nugae,
Non pauci quibus addidere pondus,
Stylo sunt facili, brevique scripta,
Abstrusum nihil est, nihil repostum,
His, et talibus obstrepente Cino,
Risit Candidus, addiditque, stulte,
Quae vis carpere, tollis, erigisque.
Cur scribas, tua scripta si adnotentur
Farnabis quatuor, decem Minellis?
Quorsum pluribus implices figuris
Uno quod potes explicare verbo?
Scriptura est veluti tabella mentis :
Si clara, et brevis est, facit videre
Quos sensus animi diserta pingit.

22.

Scelus, et flagitium.

Musas dum colui, malosque fugi,
Vitam vivere credidi beatam.
At, praeter steriles, levesque plausus ,
Illas invidiam creasse sensi ,
Hos in me veluti ruisse tigres.
Monstra haec tempora nequiora gignunt.
Scis quidquam: scelus est. Fugis scelestos :
Nulla flagitium hostia expiabis.

23.

Licentia saeculi

Exemplum fidei innocentioris
In ius qui Cato centies vocatus
Ictus fregerat impudentiorum ,
In summo senior fuit periclo.
Quid, inquit, mihi fata quid minantur!
Probarunt puerum boni Catonem ,
Laudavit iuvenem, virumquae virtus ,
Damnatum improbitas senem videbit ?
Vel hoc temporibus licere dicam ?
Non dixit tamen: arrogantiores
Vicit tunc quoque. Foediora nostrum
Haec spectacula saeculum manebant :
Nil est quod sibi non putat licere.

24

Discrimina temporum

Dum praesens Sica tempus execratur ,
Laudat praeteritum; quid interesset
Roganti mihi, nil ait, parumve :
Ut olim pueri, senesque nunc sunt :
At olim pueros senes regebant ,
Nunc regi a pueris senes videntur .
O Sicae ingenium nimis disertum !

25

Quae magis prosunt, magis probantur

Cum versus genus omne scriptitarem ,
Dixit prae reliquis meus sodalis
Placere hendecasyllabos, measque
Ad illos monuit vocare musas.
Vocavi, ut facerem satis, mihique
Nunc sunt hendecasyllabi ministri ,
Quorum, quae tacitus revolvo mecum ,
Committo fidei satis probatae.
Saepe, quos fero, molliunt labores ,
Firmant spem mihi saepius cadentem ,
Nunc iubent animo exulare curas ,
Semper toedia nequiora frangunt.
Quo vos, hendecasyllabi, legentes

Dignos iudicio putent requirant.
Mihi tot bona si paratis uni,
Vobis nil ego duco praeferendum.
Quod prodest magis, hoc magis probatur.

26.

Vera opum voluptas,

Deo millia millies rogato,
Rursus millia millies rogavi,
Et, si millia millies darentur,
Horis ter mihi singulis, quaterque,
Rursus millia millies rogarem.
Dum sic vir bonus inquit, Appianus
Ni sensus avidos, ait, domabis;
Frustra millia millies rogabis.
Iampridem domui, bonus reponit:
Nil pro me rogo: quas opes reposco,
Partiri miseris velim levandis.
Haec vera ex opibus fluit voluptas!

27.

Spernendae improborum sagittae.

Nomen, Candide, te tuum parasse,
Paucis (a) addere gratulor, sed heus tu!
Tibi nunc cave, Plurimi (b) putabunt

(a) Bonis, ac melioribus
(b) Improbi.

Hoc poena scelus acriore dignum ,
Ac te tela petent iniquiora.
Sperne, si sapis, improbas sagittas ·
Tuum non ferient caput retortae.
Pilas qui in solidum iacit frequentes ,
In se denique regredi dolebit.

28.

Vitae scelus.

Nuper assecla perfidi Luperci
Occurrit mihi, perfidique fraudes
Ultro non semel execratus inquit :
Me, quos perdidit, heu ! piget bonorum.
Eius te pigeat, tuique dixi :
Bonum qui malus arripit, maloque
Qui se mancipat impudens minister ,
Sunt teterrima pestis, et venenum ,
Sunt opprobria, dedecusque saecli.
Bonum non feriunt mali sagittae ·
Aut frustra iaciuntur, aut scelestum
In ipsum caput irruunt retortae.
De bono at canat improbus triumphum :
Est victoria luctuosiore
Peior excidio, cruentiorque.
Communis fremitus, trucesque morsus,
Qui noctes animum, diesque torquent ,
Iactant Eumenidum faces perennes.
O vitae opprobrium, scelusque vitae !

29.

Esuritio turpis fovetur, honesta negligitur.

Perditisismus omnium Lupercus
Bonas vivere nescius per artes
In turpem ruit esuritionem.
Integerrimus omnium Boninus,
Malas vivere nescius per artes
Pulchre desiit esurire nunquam.
Quisque dum cupit, anxiusque poscit
Quod natura sibi dolet negari,
Suis nititur artibus, brevique
Lautis non caret alter esculentis,
Fames conficit alterum, sitisque.
Esuritio turpior fovetur,
Nullum pulchrior invenit patronum.
O saeclum insipiens, et inficetum!
O quanta hinc vitiis patet fenestra!

30.

Fas, et nefas

Lento cur pede saepe fas feratur,
Nefas praepropero, citoque currat,
Vafer causidicus rogatus inquit:
Qui nefas meditatur, undecumque
Maturat sine teste, clanculumque:

Cum reris minus, urget, efficitque.
Cum nil adderet ille, qui rogarat,
Iuris protinus addidit peritus :
Id sacris quoque litteris monemur.
Lucis dic mihi filio per illas
Cur prudentior, efficaciorque,
Saecli filius esse iudicatur ?

31.

Magis salubria aut sero, aut nunquam intelligimus.

Res Antonius ut suas perisse,
Et vidit sibi ius necis relictum,
Illud si tamen occupasset, inquit :
Quod dedi, hoc habeo (a). Ferox triumvir
Novit serius una nos habere,
Quae dando bene collocare scimus :
Nec sors, nec rapient pericla vitae.
Si rem cautior ante sic putasset,
Haberet quot habere maluisset,
Qui caeci arbitrii, gulaequae servus
Extortum male pessime ligurit.
Cur quod est homini magis salubre,
Aut semper latet, aut diu, patetque
Cum frustra patuisse sit dolendum ?
Quam tristi premimur, gravique fato !

(a) Sen. De Benf. lib. VI. c. 3.

32.

Qui scit vivere, ac mori.

Mortem cum sibi sensit imminere,
Risit Simplicius, meisque, dixit,
In votis erat hoc. Stupet Sabinus,
Nilque, inquit, metuis! Nihil, reponit,
Nato iudice mi patrocinatur
Potentisssima Virginum Maria,
Et Deus pater est, Maria mater.
Quis fratrem timet, aut timet parentes?
Tantam Simplicii serenitatem,
Dum truci Lachesis minatur ore,
Christum qui colit experitur unus.
Unus dogmata sanctiora novit,
Unus vivere rite scit, morique.

33.

Exemplum periculosum:

Vixi, ut vivere fas erat, meique
Fructu perpetui carent labores.
Non iniuria facta bis, semelque,
Non inscitia saepius molesta,
Non vis invida, lividique morsus
Sunt quae sollicitant meas querelas.
Vive, ut vivitur, hinc, et hinc sonabat,

Si plus carpere, quam seris, laboras.
Nihil carpere malui, nihilque
Est nunc quod querar hinc. Queror, querarque
De exemplo nimium periculoso.
Quis, ut vivere fas iubet, parabit ?
Quam multi a vicibus meis fatiscent !

34.

Vera pharmaca

Iter Delia ter suum peregit,
Iam Leo furit igneus, Canisque,
Et me cogit adhuc iacere lecto
Morbus perpetuus meus sodalis.
Nunquam me magis aegritudo torsit.
Clausis opprimor omnibus fenestris,
Aer fervidus est, iacitque flammas,
Sudor effluit intimis medullis.
Quis vitae genus hoc amet molestum ?
Noli credere me tamen subactum.
Est vel per mala quod levet, beetque.
Quid sensum terit improbi doloris?
Quod per *Tempora subseciva* ludo.
Quid vita in misera facit beatum ?
Sordes cogito sic meas lavari.
Aeger ipse tibi dabis salutem,
Si scis ipse tuis malis mederi.
Vera pharmaca cuique sunt, sed intus.
In se qui miser invenire nescit,
Frustra consulet undecim Galenos,

35.

Improbissimus conscientiae stimulis non laceratur.

Me bis, et semel Aulicus fefellit,
Oblatis maribusque, montibusque :
Vota me in sua compulit, nihilque
Cassa nec nuce profuit, nec hilo.
Carptis denique fructibus laborum,
Noctes quos ego pertuli, diesque,
Comes qui exterior latus tegebat,
Me, nec si videt obvium, salutat.
Improbissimus Aulicus videtur :
Esse non puto: me cavet, fugitque:
Qui torquent animos scelestiorum
Adhuc non cohibet, necatque morsus.

36.

Aegre paret, qui solet iubere

Victus Antiochus semel parabat
Cum Quiritibus alterum duellum.
Mane, Scipio dixit: est ad imum
Descensus medii magis citatus,
Quam summi ad medium. Manere nescit,
Rursus congreditur, statimque fusus
Tanta cum nece fugit, ut Quirites

Per convicia dixerint *fuisse* (a)
Quam bene hanc poterat cavere cladem
Parens consilio salubriori!
At paret male, qui solet iubere.

37.

Discipuli super magistrum

Non est discipulus super magistrum
Est sententia trita, quae secantes
Adhuc excipit, excipitque solos (b):
Nam serram inferius trahit magister.
Ni vel me excipiat, recepta vulgo
In me denique regula obsolevit.
Ter annos docui decem, decemque,
Centum sunt mihi, centiesque centum
Quos hic discipulos tuli, forisque.
Vi pars maxima, copiisque pollet,
Et pollet titulis, honoribusque.
Vis nulla est mihi, copiaeque nullae,
Utque adhuc latui, latere pergo.
En tot discipuli super magistrum.
Est qui rem putat hanc novam, stupetque,
Effectus potior, priorque caussa!
Est qui me putat hinc magis probari:
Natorum est pater optimus bonorum.

(a) Milites Romani post praelium dicebant: *Fuit rex Antiochus magnus.*

(b) Sententia vulgaris est: *Non est discipulus super magistrum, excepto secatore.*

Dum frustra ingenium suum fatigat
Saecli qui cupit explicare nodos,
Ridet qui sapit, improbi susurrant,
Et est qui stomachum tenere nescit,
Horum nil ego. Iure gratulandum
Est me iudice patriae, mihique.
Tot cives habet illa me priores,
Lima quos mea non semel momordit!

38.

Maius

Terrae figitur, eminetque sursum
Procerus, teres, altiorque palus
Unctus undique, lubricusque totus.
Est in vertice circulus, ligata
Hinc edulia, fasciaeque pendent,
Est aere in medio gravis crumena.
Qui scandit prior, is prior potitus
Pali vertice, circuloque, victor
Laetos excipit undecumque plausus.
At qui scandere nititur, frequentes,
Dum plausus petit, excipit cachinnos.
Deorsum ruit hic in orbe primo,
Hic pene in medio : invenustiores
Sunt qui praecipites ruunt peracto
Iter per grave, lubricumque cursu.
Cum festi redeunt dies quotannis,
Hic ludus solet esse villicorum,

Maium scandere voce non latina
Vulgo dicitur. Hunc ubique ludum
Ludit vir, iuvenis, puer, senexque,
Cum bonum sibi vult, malumque pellit,
Hic cupit, cupit ille, scanditurque
Maius undique singulis diebus.
Hic ruit, ruit ille, circulumque
Captat denique quem minus putares,
Cum nullo mihi circulo potiri
In vita obtigerit, licet viderer
Manu tangere saepe, saepiusque;
Quid caussae est rogo, repperique tandem.
Maius pulvere spargitur, facitque
Ascensum facilem, daturque pulvis
Vel a qua bonus abstinet taberna,
Vel a quo pretio pudicus horret.
Maium scandere desii libenter,
Miro pulvere me carere laetor,
Qui magno pretio sophus negavit
Oblatam sibi rem parare turpem,
Tanti non emo poenitere, dixit.

39.

Mala bonorum fons

Discendi studium, labor docendi,
Edendi scabies meos libellos
Me totum rapuere, meque fati
Fecerunt memorem parum supremi,

Quod instat magis, ut magis studerem,
En qua me Deus excitavit arte.
Novi quod didici parum salubre,
Duros quae docui dedere fructus,
Et praeter steriles, levesque plausus
Meae nil mihi profuere nugae.
Quod vero est gravius, molestiusque,
Os dum laedere nescio nec hosti,
Sulti dentibus, improbique nigris
Me proscindere saepe cogitarunt,
Et qui foedere sanctiore iuncti
Pro me sumere tela debuissent,
In discrimine defuere segnes,
Occultas nisi iecerint sagittas,
Isthoc munere tot meos labores
Livor non poterat remunerari:
At sivit Deus, ut meae saluti
Prorsus denique discerem cavere,
Rebus fortiter omnibus relictis.
Reliqui, et placida fruor quiete,
Quam nunquam mihi litterae dederunt,
O quot gratia quot modis triumphat!
E votis nihil accidit tot annos:
Malorum mihi maximum putabam,
En caput fuit omnium bonorum.

40.

Mundi aestimatio

Libris insenui, dedere morbos,
Amicos colui, fidem negarunt,
Ingratos bene facta protulere,
Et quae paucula sedulus coegi
Vel fraudans genium, vel unciatim,
Ut essent mihi pabulum senectae,
Iniquissima sustulit rapina.
Hinc fractus studiis, laboribusque
Quinque annos decies, decemque natus
Saxum non leve Sysiphi revolvo.
Meos qui legis, inspicisque casus,
Nil indignius accidisse clamas:
Clamavi haud semel ipse, nunc reclamo
Nunquam faustius accidisse quidquam,
Hinc mundum didici aestimare totum,
Sordent quae bona fluxa pollicetur,
Et, quantum licet, abditus requiro
Quid vitae faciat perennioris
Quam solam cupio beatitatem.
Quid hoc pulchrius est, salubriusque ?

41.

Voluptas litterarum

Sunt incommoda plura litterarum ,
Sunt et commoda forte non minora.
Quot morbos sibi litteras colentes ,
Idem quot sibi comparant favores ?
Sic sunt omnia nostra, quae coercet
Suis limitibus bonum, malumque :
Bina sub facie solent referri.
Cum primum institui laboriosum
Cursum currere, candidis, nigrisque
Obicci vicibus caput paratum ,
At solas subii severiores,
Quot incommoda litteris parantur,
Tristes tot comites fuere vitae.
Nomen excipe, futilesque plausus,
Quos meis facit hic, et hic libellis,
Musae nil mihi commodi dederunt.
Partos perpetuo labore fructus
Ignorantia postulavit audax,
Impudentia vendidit, favorque.
O qui Palladias secutus artes
Nulli conscius es, latusque nulli
Immundo tegis, improboque Damae ;
Ne te, ne pigeat bonis carere
Emtis fraudibus, artibusque pravis.
Quae mentem fovet ηδονη Platonis

Est fructus tibi sola litterarum.
Noli hanc spernere, vel putare parvi :
Nulla quam gravis aegritudo turbat,
Est me iudice dulcior voluptas.

42.

Plus bonis, quam malis timendum.

Meo, non semel inquit Appianus,
Fungor munere, neminemque laedo:
Ergo nil timeo. Timere debet
Nunc me iudice fortius, magisque.
Suo munere fungitur, suoque
Fungi munere nescios lacessit :
Censorem veluti timent, premuntque.
Quid quod laedere neminem videntes
Laedunt acrius, impudentiusque?
Sciunt spicula missa non remitti.
Si quid me docuit perennis usus,
Plus bonis, minus est malis timendum,
Turdis retia saepe quae parantur,
Non solent quoque milviis parari.

43.

Iniuriae temporum

Legi carmina nuperi poetae,
Phoebus quae sua diceret libenter,

Et saeclis nihil aureis avorum
Nostra cedere saecla gratulabar.
Risit qui audiit, addiditque, vatem
Si nosses propius, magis doleres:
Vir doctissimus, integerrimusque
Iacet traditus esuritioni.
Dixi tunc magis esse gratulandum,
Saeclo si minus, attamen poetae.
Est qui dicitur, et probatur esse (a).

44.

Psaltria

Una psaltria plus capit quotannis,
Quam lecti Themidis decem ministri,
Septem caussidici, sophique mille,
Et, quod vel iecur ureret Catonis,
Quam lex stigmate turpiore strinxit,
Ornat nomine pulchriore virtus (b).
Haec sunt saecula luminum beata!

(a) Est musis amicus, et esuritione probatur esse, qui dicitur.

(b) Psaltriae, quae lege infames habebantur, vulgo nunc dicuntur *virtuose*.

45.

Sententia pulchrior Catonis

Signa cur sibi nulla ponerentur
Rogatus Cato risit, addiditque:
Malo cur mihi nulla sint requiras,
Quam cur sint mihi signa sciscitaris.
Nil me iudice scitius rogatum,
Responsum nihil est magis venuste.

46.

Sacerdotis est benedicere

Post discrimina mille iudicatur
Natus denique Cliniae scelestus:
Eius dicere nomini iubetur
Sacerdos male, quisquis est. Theanum (a)
Una noluit, addiditque par est,
Ut dicat bene Numinis sacerdos.
Quod magis memores, magisque laudes,
Dictum non puto protulisse quemquam.

(a) Theanum virgo sacerdos noluit Alcibiadis nomini maledicere, et, cur nollet rogata, inquit: *Sacerdotis est benedicere, non maledicere*

47.

Faemina fraudibus non vincitur

Phryne Praxitelem procax poposcit
Signum pulchrius: artifex spopondit;
At ostendere pulchrius rogatus
Tolle quod placet, inquit: hoc putato
Esse pulchrius, elegantiusque.
Risit subdola, pulchriusque signum
En qua denique fraude deprehendit.
Accurrit citus, anxiusque servus
Clamans proh scelus! ardet officina —
Ardet! territus artifex, Cupido
Si perit, perii — Pepercit ignis,
Phryne protinus inquit, officinae,
At iam iam meus est tuus Cupido.
Vidit Praxitelis genas rubentes,
Qui adstabat senior, viroque nunquam,
Dixit, si bene quae accidere novi,
Victa est faemina fraudibus, dolisque.

48.

Octavius

Annos dum numerat decem, decemque,
Vult Octavius occupare fasces:
En qua denique rem peregit arte.

Urbi exercitus imminet, suoque
Petit nomine, Lentulo sonante,
Fasces si dare forte vos pigebit,
Placebit gladio (a), statimque consul
Fit Octavius omnium favore.
Arma si male dissident, togaeque,
Arma cedere Tullius iubebat (b),
Paucis vincere Lentulus probavit.
O facundia Lentuli venusta!
Iure saecula nostra te salutant.

49.

Manganellius

Manganellius ille, qui latentes
Detexit prior, ediditque thermas, (c)
Aegris commoda plura comparavit,
Quam sex Hippocrates, novem Galeni.
Ut Phoebus fugat hinc, et hinc tenebras,
Morbos undique thermulae propellunt.
Sanguis qui coit, effluit, caletque,
Nervi, qui occiderant, statim resurgunt,
Et quae frigidior iacebat aetas,
Vires fervida pristinas resumit.

(a) *Hic faciet, si vos non feceritis.* Suet. Oct. II.

(b) *Cedant arma togae.* Tullius aiebat, detecta, atque oppressa Catilinae coniuratione.

(c) Thermas diu latentes Balneolis prior detexit.

Hinc caecus videt, ambulatque claudus,
Reddit protinus, accipitque voces
Lingua qui fuit, auribusque captus;
Et qui carpitur acriore morsu,
Quo gravis dolor, improbusque saevit,
Amissae cito redditur quieti.
Thermae blandidulae, venustulaeque,
Si per vos medicos valere iussi,
Vos estis mihi melle dulciores:
Vitae incommoda nequiora vici.
Sic qui vos prior eruit, priorque
Priscam restituit celebritatem,
Nigras tam cito non adisset undas!
Hoc vobis scelus imputatur unum.

50.

Nec bono laudanti malum, nec malo carpenti bonum creditur

Te, ne quid noceas, Luperce, laudo,
Me, mihi ut noceas, Luperce, carpis.
At frustra terimus, Luperce, tempus.
Quisque denique nos, Luperce, novit:
Quis mihi, aut tibi, quis, Luperce, credet?

5I.

Ars pulcherrima

Cum decem novies referret annos,
Et totus Leonicenus vigeret
Mente, et corpore; Iovius rogavit
Qua pulchra sibi provideret arte.
Arte inquit facili : solet venuste
Innocentia vim fovere mentis,
Temperantia corporis vigorem.
O ars pulchrior artibus trecentis !

52.

Ars nobilis

Qui in aula insenuit rogatus olim
Qua tam firmiter arte constitisset.
Est iniuria mussitata, dixit,
Acta est gratia saepe provocanti.
O ars nobilis, aulicisque digna!
Habent ilia duriora ferro.

53.

Fides marmoribus praestanda

Prisco in marmore summa Gallieni
Laudatur pietas (a). Nihil tot annos
Legi turpius, impudentiusque.
Is in funere patris, ut dolere
Vidit quoslibet, impium, levemque
Unus non potuit tenere risum.
Praesta marmoribus fidem vetustis!

54.

Hasta Achillis

Cum cutis mihi laxa sit, frequentes
Cutis provocat, avocatque morbos.
Sudor me quoties necavit unus!
Sudando quoties statim revixi!
Achillis fuit hasta fabulosa:
Sudor vulneribus suis medetur.

(a) Fleetwod *Inscript. Antiq. Sylloge* P. 3. *Gallieno clementissimo Principi, cuius invicta virtus sola pietate superata est.*

55.

Qui magis, minusque possunt.

Qui posset magis, aut minus rogatus
Longo vir bonus eruditus usu;
Qui vult laedere, vel iuvare, dixit:
Responsum grave, scitulumque laudo;
Arcta a principe dicitur sophorum
Struendi via, lata destruendi (a).

56.

Regula vitae.

Vitae regula quae foret tenenda
Virum consuluit puer peritum:
Ceu nunquam moriare vive, dixit,
Ceu mors immineat, prematque, vive.
Qui vult commoda, qui timere non vult
Mortis horribilem, trucemque vultum,
Hac una catus obtinebit arte.

(a) Aristoteles in *Analyticis* docet propositionem facilius esse destruere, quam construere: facilius enim falsa, quam vera probari potest.

*

57.

Praestat canem cavere, quam lacessere.

Mihi non semel intulit Lupercus
Damna, vel mala. Par pari referre
Non semel potuique, noluique.
Qui latrat canis, improbusque mordet,
Ictu ni potes occupare certo,
Non lacessere, sed cavere praestat.

58.

Sententia dira

Virtute, aut vitio eminentiores
Sunt qui prae reliquis valent, solentque
In mundo sibi comparare nomen (a).
Cum sic diceret inclytus poeta;
Ne dicas, sophus inquit, huu! ruente
Natura in vetitum, potentiores,
Et auctos potius celebritate
Dices qui vitiis magis premuntur.
Est sententia dira, quam probare
Non audent homines severiores.

(a) Fontanellius in *Dialogo Phrynis, et Alexandri magni.*

59.

Moritur, non vivit qui aegre vivit.

Si meos numerem dies lapillis,
Et, ut mos veterum fuisse fertur,
Niger calculus albulum repellat;
Purgetur ratio, diem nec unum
Lustra bis mihi sena computabunt.
Infirmus stomachus, crebraeque febres,
Mictus difficilis, frequentiorque,
Et sortis facies benigna nunquam,
Nigris undique calculis paratis,
Locum candidulis dedere nullum.
Vivit, qui valet, utiturque vita:
Cruces qui patitur miser perennes,
Dies, quos moritur, recenset unos.

60.

Mala diuturna facile irritant.

Dum vixi, valui diem nec unum:
Perennes comites fuere morbi.
Si semper patientius tulissem,
Mollissem mala, martyrumque palmam
Deberi mihi iure postularem.
At fraenum haud semel aegrius momordi
Christi non decet asseclam, sophumve.

Parcatur tamen, oro, flagitoque,
Si sunt perpetuae cruces ferendae,
Res est ardua ferre, nec moveri:
Irritat mora longior malorum.

61.

Quorum praecipue miserendum.

Quorum te miseret? rogatus olim
Respondit sophus: omnium, qui ab uno
Sortis arbitrio solent moveri:
Debent ludibrium bonis, malisque.
Nil superbius est favente sorte,
Nihil vilius improba furente.

62.

Vilius constat irasci, quam dare

Ne det, quod dare debet, Andrianus,
Succenset mihi. Vilius simultas
Constat, quam dare, viliusque solvit (a).

(a) Quanti minimine, an vilium more?

63.

Servus domini hostis

Est hostis domini, fuitque servus.
Studet, qui sapit, invenire caussam :
Hanc me iudice dixeris priorem.
Natura est hominum benigna mater,
Iura dat sua singulis quibusque,
Quorum praecipuumque, maximumque
Est mens libera, liberumque pectus.
Ius servo hoc dominus rapit iubendo,
In rebus rapit omnibus, rapitque
Locis omnibus, omnibusque in horis.
Hûc Franciscule : scin meum Fabulum?
Adi, dic veniat cadente sole :
Lino protinus affer has tabellas :
Paucis instrue prandium; sed heus tu,
Fac sis cautior, expeditiorque.
Pastillis superadde ius suillae,
Ovillam potius parabis assam,
Frictum non tenuem, rubrumque mullum.
Sint conchylia pauca, sint echini,
Sint et crustula, duplicesque ficus.
Olivas eme, quas tulit Venafrum,
Quod praelis premitur merum Sicanis.
Nemo est, cui sua nulla sit voluntas.
Et servo sua nulla sit necesse est.
Aegre fert miser, et libenter odit
Omne qui arbitrium sui trucidat.

64.

Sortis libido.

Dux Morterius ille, qui tot annos
Per tot praelia, totque acuta belli,
Falcem tam catus Atropi fefellit,
Dum festus colitur dies per urbem,
Et regis latus est, iniquiore
Securus cadit interemtus ictu.
Externa monitus die caveret
Quas regi insidias scelus parasset,
Meo corpore dixit ampliore
Ictus excipiam male auspicatos.
Fractus denique longiore pompa,
Instat dum socius domum rediret,
Facti, si facerem, puderet, inquit,
Occurritque neci, nefas! paratae.
Quot nex quot monet una! quam potenti
Quae vult sors pede destruit, struitque!
Sperandum nihil est, nihil timendum:
Surgit in mediis quies periclis,
Quiete in media pericla surgunt.

65.

Voluntas est potentia dirigenda

Est potentia quae movet voluntas
Mentis robora, corporisque vires;
At est, ne in vetitum ruat, regenda
Quod vis, velle alios potes iubere?
Iube: fortior es, potentiorque.
Non potes? te aliis velut sodalem
Iunge, si liceat: feres secundas.
Si fas non sinit, abditus latere,
Quam contendere malle cogitabis.
Arma turpia pulchriora vincunt:
Fies improbus, illa si capessas,
Solis niteris his; miser peristi.

66.

Fatum hominis dirum

Verum sollicitus, bonumque sector,
At veri specie, bonique ductus
In falsum ruo, me pudet, malumque.
Minores puto Tantali labores:
Ille, dum sitit, esuritque lymphis,
Et pomis fugientibus, venenum
Os non inficit, aridasque fauces.
Si sorte hac homines fruuntur omnes,
Quam diro premimur, trucique fato!

67.

Indigentia ius, vis obligationem gignit

Si bono, ut sumus, indigemus omnes,
Ius natura dedit bonum petendi.
Si vires animique, corporisque
Possunt, quod petimus, bonum parare
Uti viribus omnibus tenemur.
Indigentia sola iura gignit,
Sola vis parit obligationes.
Cur dives male glubis indigentes ?
Sunt his, non tibi iura postulandi.
Qui vim gignere iura scriptitavit
Iampridem bene non olet Britannus (a).
Factum credidit esse ius saperda (b)

68.

Suo gladio interfectus.

Mendacissimus omnium Lupercus
Mendaces odio Vatiniano
Odendos ait esse : se trucidat.

(a) Hobbes.

(b) Quia vulgo, qui vi pollet, ius sibi arrogat, ius a vi oriri docuit.

69.

Formica, et cicada

Aestas dum calet, igneisque torret,
Flammas qui iacit, aerem favillis,
Dum formica sibi parat, quod anni
Ignavissima pars solet negare,
Illam despiciens iners cicada
Fritinnit strepitu invenustiore.
Statim saevit hyems, famesque torquet
Ausam spernere providos labores.
Piget consilii, pigetque sero.
Quod sprevit, petit, invenitque nusquam,
Sensim deficit, interitque tandem.
Fatum desidis admonet cicadae
Sibi, dum licet, esse providendum.

70.

Leo, et culex

Culex nil timidus videt leonem;
Sentit rex ferus, et si, ait, deceret,
Irasci tibi, disceres timere.
Ridet intrepidus culex, minisque,
Me cum noveris, abstinebis, inquit.
Pugnatur: leo dentibus, iubaque,
Et cauda, et pedibus ferire certat.

Culex dum tenui rotat volatu,
Omnes praecavet impetus, suoque
Insultat stimulo molestiore
Hostis luminibusque, naribusque.
Sic mordet, fugit, involat, remordet,
Ut plus, quam stimulis, pudore victus
In caecas leo fugerit latebras.
Fortis spernere neminem memento:
Hoste sub minimo potes iacere.

71.

Asinus, et flores

Cum viles asinus voraret herbas,
In his, qui duo flosculi latebant
Florum deliciae, simul comedit;
At statim velut expuit venenum,
Et premit pede ter quater protervo.
Sic placent asinis venustiora!

72.

Equus, et bos

Nullis artibus obtinet magister,
Fraeno ut pareat igneus, nimisque
Libertatis amans equus protervae.
Effraenum dominus iubet vagari
Laeta per sata liberum maritum.

Exemplo monitus periculoso
Bos ingi patiens iugum recusat
Detrectans pedibusque, cornibusque.
Pinguescat sinit aridus bubulcus,
Ut sit victima pinguior macelli.
Sors pari sceleri paratur impar :
Huic regnum, laqueus paratur illi.

73.

Apes, pica, et cicada

Apem pica monet, monet cicada
Sua ut munera gratiora praestet.
Mel magis solidum sit, illa dicit,
Haec ceram solidam minus probarem.
Apes vocibus utriusque spret's
Opus, qua solet, elaborat arte.
Qui carpunt opera acrium virorum,
Pica ut stirdula, vel cicada vellet
Mel magis solidum, minusque ceram.

HENDECASYLLABORUM

LIBER III.

I.

Ad lectorem.

Quod vides variam referre vestem,
Noli carpere *Subseciva*, lector:
Frusta temporis assuo trecenta.
Ut tempus, varii est opus coloris.
Tincta cur sale nigriore pungunt?
Sal est temporis ille nigrioris.
Cur flent saepe modis simoideis?
Tempus flebile naenias reposcit.
Quibus denique finibus tenentur?
Quos illis statuunt mei labores.
Longus saepe iubet cubare morbus:
Ne me taedia longiora frangant,
Ne vis improba dissecet dolorum,

Levamen mihi *Subseciva* praebent.
Quidquid Relligio ministra coeli,
Quicquid Socratici docent libelli,
Quicquid usu aliis venit, mihique,
His committere me iuvat libellis,
Fata qui mea forte praeteribunt.
Lex mihi, et tibi sanciatur una.
Tu, quae scis tibi non placere, transi:
Ego, quae puto profutura, scribam.

2.

In obitu Ferdinandi I. utriusque Siciliae Regis.

En qui iura plagis dedit Sicanis
Lustrorum spatio decem, triumque,
In somno occubuit silente nocte.
Qui ridet stygios lacus, bonorum
Hoc regi putat accidisse summum:
Sensum quemlibet abstulit doloris.
Vitam qui timet alteram, malorum
Hoc censet prius esse, maximumque:
Opes Relligio suas negavit.
Lugent, qui hinc sibi damna pertimescunt,
Qui sperant bona, gestiunt, ovantque,
Et de Principe iudicant severi,
Qui ad nutum modo Principis iacebant.
Uno in funere quot simul monemur!

3.

In obitu Pii VII.
Pont. Max.

Omnes dum lachrimis madent ocelli,
Lugete hendecasyllabi, sonisque
Vestris reddite publicum dolorem.
Summus Pontificum, optimus bonorum,
Cuius consilio carina Petri
Ventos aequore passa praeliantes
Fractis pulchrior enatavit undis;
Pius Septimus occidit, sororque
Iniquissima sustulisse gaudet.
Heu! quantam scelus attulit ruinam!
Praesenti caret innocens patrono,
Pauper praesidio, parente natus,
Exemplo, ac duce, qui periculosis
In rerum vicibus minas superbi
Firmus spernere cogitur tyranni.
Lugete hendecasyllabi, sonisque
Vestris reddite publicum dolorem.
Omnes heu! lachrimis madent ocelli!
Heu! quantam scelus attulit ruinam!

4.

In obitu Aloisii de Medicis, Francisci I. a Sanctioribus Consiliis, et ab Aerario.

Qui nostras tulit, abstulitque leges,
Hispanas faciens iter per oras,
Occurrit Lachesi procul minanti,
Et domo procul occidit, suisque.
Hoc de funere disputant per urbem
Cives undique. Pars ait ruinam
Hanc regni fore, pars ait salutem:
Pars illum sibi calculo doloso
Deceptum putat intulisse caedem.
Iter tam grave, tam periculosum
Natus debuit adgredi tot annos!
Qui insanis titulisque, honoribusque,
Veratri hunc tibi plus dedisse casum,
Quam tres Anticyras putem daturas.

5.

In obitu Dominici Cotunnii.

En Cotunnius occidit! quis audet
Parcam parcere posse suspicari?
Mortales citiusve, seriusve
Nox est denique nigra dormienda.
Quid spes attinet inchoare longas?

Haec, et talia dum supina iactat,
Quae teterrima dicitur sororum,
En Cotunnius Atropon fefellit,
Vox circum resonat: quod est caducum,
Parcae tradidit, improbaeque falcem
Spernit pars melior soluta vinclis
Dum vultu furit Atropos minaci,
Inquit Gloria: stulta nesciebas
Summos fata viros mori negare?
Qui quot quot medici fuere, quot sunt,
Et quot post aliis erunt in annis,
Longe doctior, innocentiorque,
Non urbis decus extitit, sed orbis,
Dum vivent, quibus addidit libellis
Mansurum sibi, patriaeque nomen;
Quo pressit, premet Atropon flagello.

6.

In obitu Caroli Rosinii
Puteolorum Episcopi.

O factum grave, triste, luctuosum!
O dirae scelus, invidaeque Parcae!
Qui Rosinius, iris ut colores;
Virtutes animi fovebat omnes,
Iam victa invidia, sibique parta
Quaesita meritis perennitate,
In falcem ruit improbae sororis.
O factum grave, triste, luctuosum!

*

Musas quis coluit magis, magisque
Ditavit genus omne litterarum ?
Nemo scitius, elegantiusque
Iunxit floribus atticis latinos.
Nemo dexterius, sagaciusque
Alis abdita temporis retexit.
O dirae scelus, invidaeque Parcae !
Quis pari studuit benignitate
Complecti miserosque, pauperesque ?
Nemo praesidio potentiore
Erexit, sine labe qui iacebant :
Nemo, ut largior esset indigenti ,
Vixit parcius, abstinentiusque.
O factum grave, triste, luctuosum !
Quis per pascua laetiora pastor
Gregem ducere calluit beatum ?
Nemo currere fortius paravit
Per vestigia praesulum priorum :
Nemo praesulibus dedit futuris
Exemplum fidei innocentioris.
O dirae scelus, invidaeque Parcae !
Vir, qui non fuit alteri secundus ,
Velox ingenio, decore felix ,
Fortis pectore, fronte liberalis ,
Vir sanctissimus, integerrimusque
Aeternas lachrimas bonis reliquit.
O factum grave, triste, luctuosum !
O dirae scelus, invidaeque Parcae !

7.

In obitu Nicolai Ciampitti, Ecclesiae Neapolitanae Canonici.

Qui quot sunt hominum venustiores
In se transtulit, extulitque dotes:
Qui regno cecidit dolente toto
Hoc Ciampittius heu! iacet sepulcro.
Sedent ad tumulum, genasque fletu
Rigant, quae comites fuere vitae
Fides candida, comitas benigna,
Abstinentia nobilis, gravisque,
Non mendax pietas, vel otiosa,
Et omnis lepor eruditionis.
Ipse, quis putet! occidisse livor
Flet totum teretem, suisque solum
Diris dentibus, unguibusque dignum (a).
Iter qui teris hinc, et hinc viator,
Noli nobile praeterire saxum.
Qui circum violas, rosasque spargit,
Sacro protinus incalescit igne,
Qui e sacris fluit ossibus, fovetque
Virtutes hominum venustiores.

(a) Qui est totus teres, ac rotundus solus livoris unguibus dignus est. In eum nulla labe notandum vera livoris vis exercetur.

8.

Iosepho Castaldio Appellationum Iudici
In obitu Donati Lilii doctissimi viri.

Castaldi, nihil, heu! nihil moratur
Quam rotat Lachesis proterva falcem :
Obtruncat sine lege, calculoque
Ephebos, iuvenes, viros, senesque,
Nec parcit pueris, furitque in illos,
Quorum nomina fama iam sacravit.
At nacti merito celebritatem,
Rident dum fragilem petit figuram.
Laethes pars melior fugit lacunas,
En qui Lilius omnium bonorum
Fuit gloria, gaudium, venustas.
Qui graeca, et latia satur Minerva.
Lepores bibit utriusque linguae,
Hinc raptus dolor! heu dolor! perenne
Iam desiderium sui reliquit.
Uno in funere lachrimantur omnes.
Humanae o ratio invenusta vitae!
Sectamur bona singuli, malisque
Omnes omnibus obsidemur horis.
Rarum si interea bonum coruscat,
Se prodit veluti caducus ignis.
Non intermicat, ut fruamur usu,
Nos, ut concitet occidens, salutat.

9.

In obitu Caietani Bonannii, Ecclesiae Neapolitanae Canonici.

Lugete hendecasyllabi Bonannum
Nuper delicias, decusque cleri,
Nunc desiderium, gravemque curam.
Dum plus, quam sibi, sedulus laborat
Clero vivere, posterisque praebet
Exemplum sine fraude comitatis;
Patrono facili, patri benigno
Vitam publica vota longiorem
Poscebant Pylia quater senecta.
Cum sancta haec rata vota crederentur,
Iniquissima sustulit sororum.
O factum horribile, atque luctuosum!

10.

Marchioni Ioanni de Andrea,
In obitu Antonii Bascae Summi Magistri Ordinis Hierosolymitani.

Ignes qui fatui micant cadentes,
Quae invisae fugiunt leves sagittae,
Citus qui fluit, effluitque ventus,
Vitae sunt hominis brevis figurae.
O qui Marchio publicum ruentem
Censum crescere cogis, erigisque
Certo praesidio, favore certo

Res sacras, inopesque, litterasque,
Quid nos quid iuvat eminere nummis,
Ortu, vi, titulis, honoribusque?
Nox omnes manet una, proximusque
Victori Mario sedet Iugurtha.
En Antonius occidit, manusque
Magnus non fugit Atropi rapaces!
Quis per tempora nequiora vitam
Duxit sanctius, innocentiusque?
Quis princeps Melitae Ordinis decorum
Gessit dignius, aequiusque munus?
En oblivio nomen invidendum
Lethes obruit impudentur undis!
Buscam dum calet occidisse rumor,
His per somnia noctis inquietae
Tecum, Marchio, questibus dolebam.
Nam tu praecipue virum colebas,
Qui te praecipue colebat unum.
Ambos summa fides, genusque summum,
Summa in Ordine dignitas eodem
Summa iunxerat aestimatione.
At sic tu mihi. Totus interibit
Qui ignotus sibi, gloriaeque vixit.
Tot virtutibus, inclystisque gestis
Busca, qua licet, Atropon fefellit.
Iam victa invidia, dataque terrae
Terram terrea quae una pars manebat,
Omni pars melior soluta vinclo
Vivit nobilius, beatiusque.
Haec haec non timet interire vita!

11.

Eidem in obitu Franciscae filiae

Modum, Marchio, pone iam querelis,
Pone fletibus. Abstulisse Parcas
Franciscam tibi te piget, tibique
Est novum decus additum, tuisque.
Nata candidior puella cycno,
Nata carior Indicis lapillis,
Nata purior osculo columbae
Hinc rapta ad superas volavit aedes.
Alphonsus sociam puer sororem
In coeli sibi gloria vocavit.
Duo en sidera clariore luce
In coelo tibi promicant, tuisque:
In vitae dubio, nigroque calle
En vestigia pulchriora signant.
Modum, Marchio, pone iam querelis:
Est tibi decus additum, tuisque.

12.

Solamen leve

Ut Franciscula flos puellularum,
Et Alphonsiolus lepor leporum
Vitae in limine subruti supersint,
Ioannis pietas, Lucretiaeque
Spem contra posuit perenne marmor,
Solamen leve lachrimis parentum!

II.

Tito Manlio
Ecclesiae Acerranae Can. Theologo
In obitu Dominici Galli Archipresb.

Nil nos, nil, Tite, nostra sunt : ut ignes
Ipso in lumine labimur caduci.
Gallus sic tibi iunctus, ut soleret
Tecum degere, victitare tecum ,
Tecum, quidquid erat, frui, patique ,
Auras in tenues abit solutus.
Frustra pro capitis salute cari
Nullis parcere sumtibus parasti :
Pensis adiicitur nihil sororum.
Vir benignior, abstinentiorque ,
Fide candidus, impiger labore ,
Dum sacrae decus imminet tiarae ,
In ungues ruit Atropi rapaces !
I dotes tibi compara trecentas ,
In vestigia curre pauciorum ,
Obi munera rite sanctiora .
Fructus carpere dum putas laborum ,
Instat Persephone, trahit, rapitque.
Nil nos, nil, Tite, nostra sunt · ut ignes
Ipso in lumine labimur caduci.

14.

Francisco Iosephi F. Riverae ex Comitibus Marsorum, Dynastae Victoriensium, Equiti Stephaniano e gente sua sexto.

Quo nos vivimus, interire pacto ,
Nemo te melius, nitentiusque ,
Francisce, admonuit. Parente natus
Claro, ac divite, dotibusque cultus ,
Quae magis iuvenem probant, magisque ,
Honores, titulosque, copiasque ,
Quae mundi bona prima nuncupantur ,
Sprevisti satius ratus latere.
Idem, ne tibi mortuo daretur ,
Qua vivo libuit carere pompa ,
Indutus tenuem, rudemque saccum
Inisti fragilis vias sepulchri.
At te calculus hic tuus fefellit :
Pompa splendidior fuit bonorum
Communis dolor, indigentiumque ,
Sublatum sibi qui patrem dolebant.
Virtus nescia deprimi, ac latere
Ipsis in tenebris superba fulget.

I.

In obitu Aloisii de Andrea Equitis Hierosolymitani, XIIviri litibus iudicandis in Decuria Neapolitana.

Consolatio ad parentes.

Foedentur lachrimisque, sordibusque
Qui natis pereuntibus parentes,
Quas in pignoribus suis locarant,
Praereptas sibi spes vident, dolentque:
Nil hac acrius orbitate mordet:
Cignit tristitiam invenustiorem.
Vos, quantum est hominum beatiores,
Nati spargite laureis sepulcrum:
Vos diem, quo obiit, putate festum,
Et distinguite candidis lapillis:
Nullus gratior ivit, attulitque
Nullus laetitiam venustiorem.
Pro natis pietas vovet parentum,
Ut boni citius bonas per artes
Amor sint propriae, decusque gentis.
Huic factum satis est, satisque voto.
Aloisius omnium suorum
Fuit delicium, lepor, voluptas:
Aloisius integra in iuventa
Paravit sibi, rara quam senectus
Nancisci solet aestimationem.

Voti compotibus quid addidissent
Tot discrimina longioris aevi?
Bonum, quod munibus potest relabi,
Totum qui fruitur simul, semelque,
In tuto statuit, suumque reddit.
Vitam qui ingreditur periculosam
Se Deo, atque homini venit probatum.
Probatus satis est, satisque natus:
Aloisius osculo columbae
Vixit purior, innocentiorque:
Aloisius inclytis avorum
Exemplis monitus, suique patris,
Doctrinis animum satur trecentis,
Divesque omnigena eruditione,
Tam sancto Themidi litavit ore,
Ut iuris dubii magis peritum
Nemo crediderit fuisse quemquam,
Nemo dixerit abstinentiorem.
Facta tam lepida probatione,
Cur ad praemia segnior volasset?
Pugna a difficili, brevique victor
Brevem non queritur fuisse pugnam,
Sed gaudet celeres parasse lauros.
Foedentur lacrimisque, sordibusque
Qui natis pereuntibus parentes
Praereptas sibi spes vident, dolentque.
Vos, quantum est hominum beatiores,
Nati spargite laureis sepulchrum,
Vos diem, quo obiit, putate festum.

16.

In obitu Henrici de Andrea.

O dignum memori dolore casum !
O scelus Lachesis libidinosae !
Ephebus studiisque, litterisque
Dum totus vacat, impigerque longum
Brevi nititur expedire cursum ,
Cum sextus decimo adderetur annus ,
Ut flos tabuit ad Leonis aestum.
O dignum memori dolore casum !
Si est vindemia destinata-falci
Quod vivit Lachesis, minus licenter
Suis improba iuribus fruatur.
Cur, putrescere dum sinit cadentem ,
Crescentes amat adgredi racemos ?
O scelus Lachesis libidinosae !
Felix ingenio, decore, forma
De Andrea satus aemulatus omnes
Quas dotes animique, corporisque
Quisque praedicat elegantiores ,
Velut nix abiit soluta ad ignem.
O dignum memori dolore casum !
Mundi quam male scena comparatur !
Dum bonus gemit, improbusque ridet ,
Soror nequior, alba quae malorum
Spargit stamina liliis, rosisque ,
Bonorum nigra disiicit, secatque.
O scelus Lachesis libidinosae !

Henrice, hinc abiens tibi, tuisque
Quam nesti bene providere rebus!
Vita iam frueris beatiore.
At tecum patriae, tuaeque gentis
Spes omnes abiere pulchriores,
O dignum memori dolore casum!
Quam, stultissima Parca, negligenter
Tibi quam male providere nosti!
Deandreae soboli necem pararas:
Vivit pulchrior illa, laetiorque:
Te, et tuos cata calculos fefellit.
O scelus Lachesis libidinosae!
Henrice, hinc abiens licet fruaris
Adepta meritis beatitate;
Tecum spes querimur tulisse nostras.
Licet, pessima ieceris sororum
Ictum, pro nece qui dedit salutem,
Audacem tamen execramur ictum:
O dignum memori dolore casum!
O scelus Lachesis libidinosae!

17.

Sub inscriptione pro eodem

Sole quam cito flos cadit cadente,
Qui in solis caput erigebat ortu,
Tui flos cecidit fugacis aevi.
At quae tam cito fama iactitavit
De tuo ingenio, innocentiaque,

Firmae stamina texuere vitae.
Quae nihil fragilis, nihil caduci
Vita continet, interire nescit.

18.

Marchioni Franc. Xav. de Andrea Xviro rationibus publicis iudicandis in Magna Curia Neapolitana, Cubiculario Leopoldi II. Magni Etruriae Ducis.

In obitu Aloisiae Bruncacciae e Principibus Ruffanensium raptae in pervigilio S. Candidae Brancacciae.

Francisce, est homini bonum nec unum
Quod certum sibi, propriumque dicat:
Saepe quod manibus putat tenere,
Hinc fugit cito, Tantalumque fallit.
En myrtos tibi, quas Venus parabat,
Abisse in Lachesis vides cupressus.
Scitis scitior omnibus puella,
Sexus gratia, flos, lepor, voluptas
A maioribus orta, quos adauxit
Cum sago toga, purpuraeque splendor,
Nubebat tibi. Iam suis Cupido
Sufflabat facibus : ligabat Hymen
Iam suis animos pares catenis :
Iam par nobile quisque praevidebat
Daturum sobolem beatiorem:
En ignis fatui cadentis instar
Sponsa desinit esse, praeteritque.

Francisce, est homini bonum nec unum,
Quod certum sibi, propriumque dicat.
At tu nil quereris, tuaeque sponsae
Re gesta ut bene, fortiterque plaudis!
Totam rem teneo: facit triumphi
Illam participem venustioris
Sui Candida nominis, suaeque
Gentis quae fuit: hinc petit vocata,
Festo virginis imminente, coelum.
O factum bene, strenueque factum!
Vos manet nova fax, novumque vinclum,
Et Hymen novus, et novus Cupido,
Quae terrestribus interire certis
Ut coelestia non caduca praestant.
Francisce, est homini malum nec unum,
Esse quod nequeat caput bonorum.
Saepe quod dolet attulisse funus,
Mutatur cito, gaudiisque complet.

19.

In obitu
Marchionis Laelii Riverae, Equitis Hieroslymitani, Equitis Torquati Ordinis Francisci I., summi Moderatoris Vehiculationis Publicae.

Risus ponite, gratias, iocosque,
Vestem sumite negligentiorem:
Lugete hendecasyllabi, scelusque
Diris plectite pessimae sororum.

Omnes Laelius ille, qui coegit
Quot sparsas alii tulere dotes,
Parcae parcere nescientis ulli
In ungues cecidit rapaciores!
Risus ponite, gratias, iocosque,
Vestem sumite negligentiorem.
Cui longa in serie fuere plures
Maiores titulis onustiores?
Hic Martis legit undecumque lauros,
Hic palmas tetricae metit Minervae:
Sacra illi caput implicat tiara,
Ille purpureo refulget ostro:
Est qui denique iure gloriatur
Urbini sacra vincla nuptiarum
Clementis sibi nexuisse gentem.
Lugete hendecasyllabi, scelusque
Diris plectite pessimae sororum.
Quis vi praeditus acriore mentis
Fungi munera sanctiora novit?
Nemo splendidius, venustiusque
Metam currere nobilem paravit:
Nemo fortius, elegantiusque
Rerum calluit explicare nodos.
Risus ponite gratias, iocosque,
Vestem sumite negligentiorem.
Vitae quis fuit innocentioris?
Quis humanior, abstinentiorque?
Virtutis comitem severioris
Facti poenituit, suique nunquam:
Indulgens miseroque, pauperique,

His plus, quam sibi, credidit cavendum.
Lugete hendecasyllabi, scelusque
Diris plectite pessimae sororum.
Qui summum genus, inclytumque nactus
Avito decus addidit nitori,
Ut nix in tenues solutus auras
Luctum perpetuum bonis reliquit!
Risus ponite gratias, iocosque,
Vestem sumite negligentiorem.
Lugete hendecasyllabi, scelusque
Diris plectite pessimae sororum.

20.

Hieronymo de Andrea Antistiti Domus Pontificalis, Protonotario Apostolico, Equiti Hierosolymitano,

In obitu
Optimae eius matris Lucretiae Riverae
ex Comitibus Marsorum.

O desiderium nimis molestum!
O nulla dolor arte molliendus!
Quae me plus oculis suis amabat
Meis plus oculis amata mater,
Heu! rapta hinc abiit, meique partem,
Parte sustulit altera relicta,
O desiderium nimis molestum!
O nulla dolor arte molliendus!

Hoc, Hieronyme, te dolere questu
Cum surgit videt, interitque Phoebus:
Matris hinc abitus ciet, piique
Putas officii referre partes.
Malus te male calculus fefellit;
Mente si repetas sereniore,
Esse quos quereris nigros lapillos,
Dices vincere candidum ligustrum.

Natis optima mater institutis
Fructus carpere debuit laborum;
Coelestes superum aemulata mores
Erat coetibus inserenda coeli:
Hic vera fruitur beatitate,
Suisque hinc favet, apparatque sursum
Quas unas docuit domos petendas.
Quid matri, ac tibi pulchrius fuisset?
Unde gaudia puriora surgent? (a)

(a) Nobilissimae huius matronae interitum maturavit acerbissimum funus Filiorum Aloisii, et Henrici pene simul occidentium, quorum vitam Franciscus Guadagnius more suo scripsit.

21.

Philippo e Marchionibus de Andrea Equiti
In obitu
Uxoris formosissimae Clementinae F. Salvatoris
Pitocci Baronis Roccae Veteris, et Caietanae
Catalanae Gonzagae e Ducibus Cirellae XII.
a nuptiis die ferociore morbo sublatae.

Sexus gratia, suavium, venustas,
Virtutis lepor, innocentiaeque
Clementina, velut caducus ignis,
Luce quam rutila, brevique fulsit!
O morbi facinus furentioris!
O vultur Tityi iecur remordens!
Rapta coniuge coniugum nitore
Hos a te elicuit, Philippe, questus
Saevit qui dolor intimis medullis.
Mox qui mors uti fortis est, tenetque
Amor quae sibi corda mancipavit,
Te exemplum fidei facit maritae.
Ades funeribus, sacrisque nuptae,
Laudas pro meritis, tuaque voce,
Et claudis manibus tuis sepulcrum.
Tandem, nè ex oculis tuis recedat
Quae non ex animo recedet unquam,
Munus negligis inclytum, novamque
Nuptam non fore profiteris ullam.
Qui vel ferreus est, vel a ferino
Suxit ubere lacteos liquores,

Tanti vulneris improbabit aestum.
Ne sit perpetuus tamen memento :
Suis omnia finibus tenentur.
Post tot pignora, tanta, tam venusta
Contractam licet explicare frontem.
Te iam vidimus optimum maritum ,
Vires pectoris ede fortioris.

22.

In obitu
Antonii Capycii Minutuli Canusinorum Dynastae,
Ferdinandi II Utriusque Siciliae Regis
a Sanctioribus Consiliis.

Notus militiae, domique notus
Vices temporis, ut solet, subisti.
Qui te suspiceret fuit, fuitque
Facta qui tua, teque devoveret.
In rerum vicibus laboriosis
Hos, qui non latet, experitur aestus.
Verum iudicium ferent nepotes.

23.

In obitu
Lucae Mannae

Manna, qui obsequio peculiari
Iunxisti tibi tam catus potentes ,
Ut vel post obitum favere pergant;
Fronde tempora cinge pulchriore.

His laudi tribuit placere Flaccus,
Tu gratos, memoresque reddidisti:
Id Flaccus tibi verterer triumpho.

24.

In obitu improbi scurrae.

O factum male, pessimeque factum!
O spes, ut solet, irritae bonorum!
Scurra, qui illepida procacitate
Vicit vel satyros procaciores:
Scurra, qui velut ebrius tyrannus,
Caecis perculit hunc, et hunc sagittis:
Scurra, qui rabidi leonis instar
In bonos ruit impotenter omnes;
Correptus celeri, brevique morbo
Hinc raptus stygias petit paludes.
Votum quam male publicum fefellit!
Nondum lumine captus in plateis,
Vitam quo traheret, stipem rogarat:
Aversis (a) calidos furentioris
Nondum frigida temperarat aestus:
Lictor non sua triverat flagella,
Restis guttura fregerat nec una.
Votum quam male publicum fefellit!
O factum male, pessimeque factum!
O spes, ut solet, irritae bonorum!

(a) Aversis urbe Campaniae est stultorum, furentiumque nosocomium.

25.

In obitu avari rapacis.

Opes ut sibi Struma compararet,
Nullis artibus improbis pepercit,
At ne serior indigeret aetas,
Partis tam male prorsus abstinebat.
En dum rem facit, acriterque glubit,
Qui in ungues semel incidunt rapaces,
Nec spem desinit inchoare longam;
Velut fulmineo cadit sub ictu.
Passus crimina quos ferunt labores,
Fructus né tetigit quidem pudendos.
Avari haec solet esse sors rapacis:
Digna sors hominis scelestioris!

26.

In obitu catelli, cui nomen Marchesino.

O festivior omnibus catellis,
Marchesine tenellule, et venuste,
Blando passere blandior Catulli,
Stellae nequior improba columba!
Quod te, quod rapuit repente fatum?
O qui saltibus hinc, et hinc facetis,
Dulci murmure, morsiunculisque,
Contractam domini severioris
Frontem scitulus unus explicabas!

Nunquam tam timui gravem ruinam.
Quae vis ad stygias te adegit undas?
Dum ludis, sequerisque provocantem
Te felem nimis acer, igneusque,
Cancellos superas, ruisque praeceps!
Quod te, quod rapuit repente fatum?
Quae vis ad stygias te adegit undas?
Quod solatiolum manebat unum,
Hoc sors improba sustulisse gaudet;
O sortis facinus libidinosae!

27.

In obitu turturis.

Turtur passere nequior Catulli,
Qui in rerum vicibus parum secundis
Solamen mihi saepe praebuisti;
Turtur, qui facili levis volatu
Manus insiliens, sinum, caputque
Dixisti mihi, cum domum redirem,
Blando murmure blandulam salutem,
Quae te vis mihi sustulit, tuisque?
Plorat in viduo relicta nido
Uxor maestula, pipilantque nati
Orbi praesidio potentiore,
Vulnus, quod dolet, hinc, et hinc fricatur.
Turtur passere nequior Catulli,
Nuper deliciae meae fuisti,
Nunc fons, et caput es mei doloris!
Nunquam tam timui gravem ruinam.

28.

Commissis muneribus fungi facile est.

Commissum tibi munus est, cupisque
Obire, ut placeas, nihilque pecces :
Nil factu facile est magis, Phidippe.
Quos velles alios, is esse cura ,
Obique, ut cuperes obisse functus.

29.

Amico post decem lustra ducenti uxorem.

Lustris denique quinque bis peractis
Uxorem tibi comparas puellam.
Suis te rapuit Cupido ludis ?
An deterruit una solitudo ?
Alter calculus, et fefellit alter :
Ludit cum pueris puer Cupido ,
Solus plus eget, at minus gravatur.
Quid quod nos habitus movet, trahitque ?
Soli vivere qui tibi solebas ,
Tu fastidia, quae creabat uxor,
Tu curas sobolis feres futurae ?
In quantam miser incides charybdim !
Quot pyxis mala fabulosa fudit ,
Mane, vespere, noctibus, diebus ,
In te tot veluti ruent phalanges.

Heu ! taedet quoties, pigetque, dices ;
At, sero sapiunt Phryges, memento,

30.

Vita non annis, sed usu computanda.

Cui motus nihil est, nihilque sensus ,
Lapis saecnla provocat snperstes :
Quae motu vegetat vetnsta quercus ,
Annis denique cedit, interitque :
Quod sentit, video perire brutum
Plantis ocius, ociusque bruto
Abit vita hominis brevis, fugaxque ,
Et tanto brevior, fugaciorque ,
Quanto plus homo cogitat, sapitque.
Quod vivit, citiusque, seriusque ,
Ut vita fruitur, perire lex est.
Annis desine computare vitam ;
Vitae vivimus, et perimus usu.

31.

Titus Vespasianus

Si quis delicias Titum fuisse
Hnmani generis neget, probabo.
Paucos novimus imperasse menses (a).

(a) Vel brevitas temporis vitia non ostendit , vel brevitate temporis Titi homines non taeduit, vel genus humanum eo diutius frui non meruit.

32.

Egenus gloriosus.

Cur, cum nil habeas, nihilque speres,
Meras divitias crepas supinus ?
Tui me miseret, pigetque, Thraso :
Croeso ditior esse dum minaris,
Ipso pauperior probaris Iro.
Rem magni facis, indiges, pudetque.

33.

Hominum levitas.

Optatum facile tulisse taedet :
Pigeret, nisi forte contigisset.
Heu quam difficiles sumus, levesque!

34.

Thrasones gloriosi timidi esse solent.

Dum vultu, manibusque, vocibusque
Ingentes animosque, spiritusque
Thraso iactitat, alterum ut videres
Tuscas fundere Coclitem phalanges ;
Occurrit canis, excutitque pellem,
Quod se laverat, hinc, et hinc madentem.

Ut qui fulmine tactus obstupescit,
Nescit fundere verba gloriosus,
Ridebant comites: silete, dixi,
Absurdi nihil excitat cachinnos:
Si Floralia damnat impudicus,
Et mendax crepat usque veritatem;
Thersiti liceat videri Archilles.

35.

Stoicidae mentiri solent.

Qui dicteria saepe iactitare,
Et se dicere stoicum solebat,
Haesit Pollius, ut sibi, suisque
Malum non grave sensit imminere.
Heus tu, sume animos, amicus inquit,
Nunc salsum licet esse, stoicumque.
Risit Pollius, addiditque. Non est,
Malum, quod cruciat, meas sed aedes
Iniquam piget attigisse sortem,
Salsum Pollius esse se probavit;
Sed nunquam puto stoicum fuisse.

36.

Iudicium Ciampitti, et Rinaldi.

Versus edere dum capit latinos,
Poscit iudicium meum poeta.
Nitebar dare qualecumque, quidquid;
Sed Ciampittius, inquit, et Rinaldus
Dignos auribus Atticis putarunt.
I, dixi, pete Tranium, obviamque
Famam amplectere, iudicata lis est:
Nihil carminibus tuis putandum
Exquisitius, elegantiusque:
Favet iudicium acrium virorum,
Quo, totas licet advoces Athenas,
Nil exactius invenire possis.

37.

Miser est, cui omnia displicent.

Laudandum nihil, et nihil probandum
Luperci est oculis: malum. invidumque
Dicunt, sed miser est, miser, miserque (a).

(a) *Ego esse miserum credo, cui placet nemo.*
Mart. Lib. V. Epigr. 29.

38.

Superbus.

Dum te diligo, vis coli, Luperce :
Iam nec diligo, nec colo superbum.

39.

Per quae peccaverit homo, per haec et punietur.

Quis est, qui periit velut peremptus
Ictu fulmineo, sibique vidit,
Quae sacra auxilium ferunt, negata ?
Cur funus miseri solutiores
Turbarunt pluviaeque, turbinesque ?
In unum caput irruisse dices
Quot coelum iacit hinc, et hinc sagittas.
Ne te decipias, inique, curto
Si interdum pede poena claudicabit :
Cum reris minus, opprimet fugacem.
En sacris opibus caret scelestus,
Qui dextra Autolyci rapaciore,
Ut venalia, sacra venditavit.
Qua peccaveris arte, punieris.

40.

Novus Thraso.

Dum bellum patriae minatur hostis,
Casurum manibus suis Lupercus
Iurat vincere, vel mori paratus.
Is, hostem simul ac movere sensit,
Tristes edere coepit eiulatus,
Incedensque gradu laborioso
Nodosam catus adprobat podagram.
O mirum ingenium novi Thrasonis!

41.

Habenti quod satis est nihil sperandum, vel timendum.

Quem totis mihi sarcinis paravi,
Fundus aëre nec nitet sereno,
Nec spectabilis est feracitate.
In rerum vicibus periculosis
Unus dat placida frui quiete:
Reddit, quod satis est, satisque habenti
Sperandum nihil est, nihil timendum.

42.

In malis irriti sunt questus.

Quod nulli mala te premant ferenda,
Iustos esse putas, Avite, questus,
Nihil stultius est, ineptiusque.
Questus sunt animi minutioris,
Qui, dum verberat aërem querelis,
Arceret mala forte, pelleretque,
Si pro viribus usque niteretur.
Quid quod, cum mala non ferenda mordent,
Iam sunt proxima finibus bonorum?

43.

Simplicius, et Chloe.

Fugit Simplicius Chloen, cupitque:
Tacentem fugit, et cupit canentem.
Audit Simplicius, videtque acutum (a).

(a) Audit dulce canentem, videt deformem.

44.

Honores mutant mores.

Audivi veterem meum sodalem
Factum e rhetore consulem repente (a).
Cum solatia saepe praebuissem
In discriminibus, periculisque ;
Re laeta placet ire gratulatum.
Post longas recipit moras hiantem,
Ut nomen revocet meum, laborat,
Paucis, si quid opus, iubet rogare.
Cum bilem, stomachumque continere
Non possem; valeas, amice, dixi:
Sperabam tibi posse gratulari,
De amisso cerebro piget dolendum.

45.

Cartesius.

Luscam Cartesius semel quod arsit,
Luscas prae reliquis amasse fertur.
Quanta est vis habitus! prior sagitta
Quanto vulnere saucios fatigat!

(a) *Si fortuna volet, fies de rhetore consul,*
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Iuven. Sat.

46.

Os Appii.

Appi, prodere cogitas libellum
Irato genitum choro sororum,
Et vis pumicibus meis poliri.
Post noctes vigiles, caputque scalptum,
Post ungues iterum, semelque rosos,
Me fastidia lectuli calentis
Tenent, te titulus beat poetae.
Quod fructus capias mei laboris,
Novi mel aliis apes parare:
Quod nullas referas, agasve grates,
Ingratos scio defuisse nunquam:
Quod ne unum dederis quidem libelli
Exemplar, piget hoc, sed est ferendum.
At quod, si decies die vel uno
Occurris, decies subinde dicas
Quem misi, inveniens domi libellum,
Et nunquam invenio domum reversus,
Post septem, puto, vel novem Kalendas;
Vis dicam tibi veriora veris?
Appi nomen, et os habere gaudes.

*

47.

Gloria virtutibus, non titulis comparatur (a)

Nuper me ex cathedra docente claris
Ductum nomen avis, imaginesque
Fumosas nihil esse, gloriamque
Virtutes homini parare solas ;
Accessit bene cultus, affluensque
Vestitu iuvenis stipem rogatum.
Mirabar: videt ille, nobilique
Quid natus faceret parente, dixit,
Cui fortuna suum negat favorem? =
Discat vivere parcius, laboret =
Nunquam nobile nomen inquinari
Maiorum patiar = Tuas nec unquam
Pascam stultitias, superbiasque.
Discessit iuvenis mei misertus ,
Risum non tenuit frequens corona ,
Sit, dixi, satis, hoc erat probandum.

(a) Id revera accidit, cum in Regio Lyceo docerem. Iuvenis bene cultus, et vestitu affluens, qui stipem rogabat, chartam exhibuit, quae testabatur eum nobilem esse, et quid quisque largitus esset, monebat. Me de eius nobilitate gratulari dixi, meae ignobilitatis pigere, si quid egenis darem, nolle alios commonere.

48.

Mors non est malorum maximum.

Iuli, vive diu : quis improbabit
Vivendi studium? sed esse mortem
Noli credere maximum malorum.
Mors est sollicitis reis levamen ,
Maturat placidam boni quietem ,
Ponit criminibus modum scelesti.
At mortalibus omnibus paludes
Claudantur stygiae: brevi negabit
Tellus pabula singulis, locumque.
Quid quod, dum studet improbus parare
Extento bona quae fruatur aevo ,
Omnes improbitas fugit catenas ? (a)
Iuli, vive diu, sed esse mortem
Noli credere maximum malorum.

49.

Vita senis inopis miserrima.

Cum sit vita hominis laboriosa ,
Est quo quisque suum levet laborem.
Malorum puer inscius laborat ,

(a) Si pro bonis brevi relinquendis homines fiunt improbi, pro duraturis nullus esset improbitati modus.

Distractus iuvenis, vir occupatus,
Senex nomine, nummulisque partis.
Quid, si nil vir agat, senexque nec rem,
Nec nomen sibi rite comparavit?
Aetas cum magis indiget, doletque,
Nil est, quod minuat, levetve curas.
Vultur dum Tytii iecur remordet,
Praesentis miseretque, poenitetque,
Pudet praeteriti, piget futuri.
O vitam horribilem, atque pestilentem!

50.

Natura usque recurrit.

Solam, sollicitam, nihilque habentem
Duxit Phyllida Priscus: hanc putavit
Ingratam minus, et minus procacem.
Quam nobis male saepe providemus!
Ingratissima faemina, ut levari
Coepit, praeteriti immemor, suique,
Facta est garrula, nobilis, superba,
Procax, magnifica, atque sumtuosa:
Quisque ad ingenium solet redire.

51.

Democritus.

Ne Democritus igneas videret,
Quas iactant oculis faces puellae,
Pupillas sibi contudisse fertur.
Hic risor male salsus excitavit,
Quos, me iudice, debuit cachinnos.
Qui vinci metuens fugit periclum,
Et pugnam fugit, et fugit coronam.

52.

Homo moribus, non ortu commendatur.

Occurrit mihi nuper in corona
Frequenti iuvenum elegantiorum
Quidam cultior, elegantiorque.
Blandus lumine, fronte liberalis,
Castus moribus, integer pudore
Graves res catus explicabat unus.
Cum multumque, diuque subnotassem,
Nemo est hoc potior, priorque, dixi.
Risit, qui mihi proximus sedebat,
Vilique a patre murmuravit ortum.
Clarum, tunc ego, si genus fuisset,
Laudarem minus, et minus probarem.

53.

Calumnia.

Cum lex Attica foeminis negasset
Partus excipere; est in urbe rumor
Non levis. Doluere, quas pudebat
Uti, cum parerent, viris, fuitque
Confidentior una, quae obstetricem
Vestem se obtulit induens virilem.
Commentum placet, obstetrix vocatur,
Rem pulchre facit, invident maligni,
In ius faemina rapta iudicatur
Uxorum velut omnium maritus.
Nodos ut simul explicaret omnes,
Fictis vestibus obstetrix relictis
Fefellit tabulasque, iudicesque.
Totam fabula dum strepit per urbem,
Et bilem movet, et movet cachinnos,
Quae Calumnia fracta iam cadebat.
Sectis crescere cornibus videtur.
O monstrum horribile, atque fraudulentum!

54.

Nemo sine periculo provocat.

Augustus videt advenam, sibique
Miratus similem velut gemellum,
Dic, inquit, mihi, dic in urbe mater
Audisti an fuerit? Fuisse patrem
Ille protinus audiisse dixit.
Telum nescio scitius retortum :
Nemo est, qui sine provocat periclo.

55.

Mea vota.

Non me sollicitant opes, nec opto,
Imperare aliis: valete, abite
Coetus, balnea, porticus, theatra,
Coenae, prandia, quaeque cogitare
Solent gaudia delicatiores :
His possum facile bonis carere.
Si mictu facili fruor (a), meosque,
Quos ter, et quater edidi libellos,
Ultima licet expolire lima ;
Vitam vivere contigit beatam.

(a) Sic scribebam, cum difficili mictu laborarem. Nunc ope clarissimi viri Francisci Petrunti medici a manu facile principis acerbissimo morbo liberatus hac saltem voti parte abstineo.

56.

Vitae incommoda sunt salubria.

Ob incommoda te dolere vitae
Audivi deciesque, centiesque ;
At non sunt mala, quae putas, Philippe.
Vitam si fragilem monent, brevemque,
Mortali nihil est magis salubre.

57.

Statera.

Librarum est mihi quindecim statera :
Licet ferrea, nec satis polita,
Nil est, quod cupiam magis, petamque :
Unum est mnemosynon mihi meorum,
Una est, quae ad trutinam vocans coemta
Servos esse domi vetat dolosos.
Quid est, quod cupiam magis, petamque ?

58.

Statera, et modulus.

Stateram, et modulum mihi reliquit
Decedens pater, addiditque normis
Istis utere singulis diebus :

Mensurae tibi, ponderisque fines
Qui sint sic monitus, nihil parabis ,
Aut dices fatui, tuique nunquam
Vel te iudice forte poenitebit.
Accepi ut sacra, nilque consulendum
Statera, et modulo magis putavi.
Heres ditior, elegantiorque ,
Opes desine iactitare stultas :
Croesi non puto postha habenda gazis
Stateram, et modulum mei parentis,

59.

Maximum scelus.

Nil parsi studiisque, sumtibusque ,
Ut fundum colerem meum; paravi ,
Ieci semina: prodiere plantae ,
Quae sudoribus affatim rigatae
Suos tempore protulere fructus.
Dum carptum propero, meos labores
Qui non credidit esse sustinendos ,
Pallet, rumpitur, obstat, eripitque
Centum fraudibus, artibusque centum.
Si leges scelus hoc vident, silentque ,
Quod tandem cruce, fustibusque plectent ?

60.

Voces impiorum stultae, ac scelestae.

Fertur velle homines Deus beatos :
Nil est, quod magis audiam libenter ,
Iam ter, iam videor quater beatus :
Potest omnia, qui potest creare.
At passus nihil est, patique nescit :
Nil est, quod minus audiam libenter ,
Iam ter, iam videor miser, quaterque :
Opem non feret inscius malorum.
Haec et talia Luscio querenti ,
Quid, stultissime, Lucius, quid inquit ,
Spem claudis tibi quamlibet salutis ?
Nemo stultior est, scelestiorque.

61.

Stultus, et miser est, qui omnia improbat.

Nemo difficili placet Luperco :
Stringit quemlibet, acriterque rodit.
Est, te iudice, pessimus malorum ,
Me, stultissimus est, miserrimusque.
Quae vitae huic fluet hora non molesta ? (a)
Quis hac a scabie tenebit ungues ? (b)

(a) Si quisque displicet, quisqua molestiam creat.
(b) Si quisque stringitur, quisque eum stringet.

62.

Inops, qui nihil dat benigno, est liberalis.

Natalis Domini appetente festo,
Totam munera dum volant per urbem,
Quod mittam tibi nulla, ne graveris,
Nec me parcere dixeris crumenae.
Quid Crasso addiderit Macer poeta?
Inops, qui dare non studet benigno,
Satis dixeris esse liberalem.

63.

Senem carere commodis miserrimum est.

Cum sit vita hominis labor, dolorque,
Aetas quaelibet invenit levamen.
Lascivit puer inscius malorum,
Huc illuc iuvenem rapit Cupido,
Vir famae studet, et studet crumenae,
Senex nomine, commodisque gaudet.
Quid si, cum nive sparserit capillos
Aetas tardior, indigentiorque,
Vel audis male, vel nihil parasti?
Vel torquebere singulis diebus,
Vel suspendia sola cogitabis.

64.

Ludus libidinosus.

Nix ignem mihi dat, nivem dat ignis ,
Et nil est, mea vota quod secundet.
Ohe iam satis est, satis voluntas
Vim passa est mea : denique o puderet
Ludum ludere, sors, libidinosum.
Cur nudae volitant rates, meamque
Remi, velaque retrahunt carinam?

65.

Fascinus.

Dum scitum tibi, blandulumque natum
Uxor parturit, hinc, et hinc procellas
Coelum nubibus horridum minatur.
Partu difficili laborat uxor ,
Vix lucem videt, interitque natus ,
Tu vir sollicitus, paterque tristis
Vultu dissimulas, premisque corde
Vulnus, quod geminum facit dolorem.
O casum horribilem, atque luctuosum !
Incertam ut tibi mollias senectam ,
Certam sollicitas virilitatem.
Quantam fascinus attulit ruinam !

66.

Certa esuritio.

Emis, Gargile, protinusque vendis,
Emturus cito, moxque venditurus.
Est ingens vitium, sed est caducum.
In certam ruis esuritionem:
Ali desinet, et statim peribit (a).

67.

Inops mortis timidus sibi conscit.

Aequo mors pede pauperum tabernas
Pulsat pallida, regiasque turres.
Sexti, quid quereris, velutque solus
Te morti, et tua debeas, gravaris?
Cum nihil tibi sit, nihilque speres,
Quod vivas nihil est, timesque mortem!
In te nil gravius potest notari.
Qui nec commoda comparare vitae,
Nec mortis didicit metum fugare,
Est ingens nebulo, sibique conscit.

(a) Vitium emendi, et vendendi caducum peribit simul, ac esuriens nec emere poteris, nec vendere.

68.

Mundi bona sceleribus comparari solent.

Dum nil nequius improbo Libone
Contendit Simus esse, vel fuisse ;
Ne credas fatuum Philenus inquit :
Hic et rem facere, et cupit valere.
Scit mundi bona qua parentur arte.

69.

Deus.

Te rector Deus omnium, paterque,
Adhuc te mihi rite quaeritanti
Nil est, quod patuit magis, minusque.
Novi, et nescio. Cuncta si creasti ,
Nil est te prius ; at quid es, nec ipse
Ausim dicere, quilibet nec ausit :
Pars non est potis explicare totum.
Pupilla ad radios stupet micantes.

70.

Pauper iners miserrimus est.

Non est res tibi parta, nec relicta ,
Polles ingenioque, viribusque ,

Et anguem veluti fugis laborem.
De te quam male, Gargili, mereris!
Instat maximus omnium laborum,
Spretus publicus, esuritioque.

71.

Nescit vivere, qui nescit valere.

Quid sit vivere nosse iam putabam:
Nil novi, video, minus, pigetque.
Dum libris studeo magis, magisque,
Saluti studeo minus, minusque.
Hinc incommoda crebra suscitantur,
Quae vitam faciunt laboriosam.
Nescit vivere, qui valere nescit.

72.

Habitus.

Post coenam lego, prandiumque libros:
Nil est, quod magis officit saluti.
Cibus non coquitur, fovetque arenas,
Mictum difficilem, vagasque febres,
Et quae me mala singulis diebus
Morosum, querulum, gravemque reddunt.
Iam libros, ais, abdicas, fugisque?
Quanta est vis habitus semel recepti!
Post coenam lego, prandiumque libros.

73.

Quibus assuevimus, aegre abstinemus.

Dum noctes studeo, diesque libris,
Et sensim videor minus valere;
Libros ut fugiam, monet Galenus.
Morem denique censui gerendum,
Et libros procul exulare iussi.
Quid hoc fecerit otium requiris?
Aegre vivere non, ut ante, taedet;
Prorsus vivere poenitet, pigetque.

74.

Species sine cerebro.

Amicus mihi qui fuit tot annos,
Me externum velut adspicit, negatque
Dictam reddere rusticus salutem.
Auctus iam titulis, honoribusque
Obliviscitur omnium, suique.
Haec est, quae species caret cerebro:
Magnum se putat, et probat pusillum.

75.

Homo novus.

Famosus vitiis, avis superbus
Obiurgans hominem novum vocavit,
Qui se Tullius omnibus probarat
Doctrina, eloquio, eruditione.
Ridet, meque tui piget, reponit
Disertissimus omnium patronus:
A me nam decus incipit meorum,
In te gloria desinit tuorum.

76.

Summus vir iniuriis non laeditur.

Tulli, dum tibi nemo comparatur
Mentis viribus, inclytisque gestis:
Dum, quae munera sponte te sequuntur,
Discedunt domibus potentiorum:
Dum tu plura domi facis togatus,
Quam centum auspiciis duces secundis;
Te contemnere, te putare parvi
Audet, qui sine mente, moribusque
Maiorum titulis superbit unis?
Sic incendere Tullium studebant,
Qui adstabant, homo dum novus vocatur.
Risit Tullius, et puderet, inquit,
Irasci puero nimis diserto.

*

77.

Regem aegrotare pudet, decet perire.

Morti proximus, ut suae saluti
Curis omnibus abstinens caveret
Rex olim monitus; cavebo, dixit,
Saluti populi, meaeque: regem
Aegrotare pudet, decet perire.
Nil dictum graviusque, pulchriusque.
Magni sciscitor, optimique regis
Nomen, tempora, patriam, parentes:
O diri scelus, invidique fati!
Nigris omnia compulit sub undis.

78.

Medici, et pharmaca.

Febres me repetunt frequentiores:
Quot sunt, consului catus Galenos,
Quot sunt pharmaca credulus recepi.
Qui credis medicisque, pharmacisque,
In me quid valeant potes videre:
Febres me repetunt frequentiores.

79.

Pessimus est, qui omnes malos putat.

Omnes esse malos ait, bonumque
Sic se Turpilius putat probare.
Sic est pessimus omnium malorum.

80.

Turpe est patrocinium impudentium.

Quem fructum mihi sedulus, catusque
Totius peperi labore vitae,
Turba intercipit impudens, procaxque.
Sit grave hoc licet, est tamen ferendum.
Homo sic solet esse comparatus:
Optat, quod placet, et petit libenter,
Et parvi deceat, secusve, pendit.
Sed cur, quod grave credo, nec ferendum,
Cur turba haec faciles habet patronos?
Nil est turpius, impudentiusque.

81.

Bene parta.

Quod aegre a studiis meis coegi,
Non prodest mihi, nec meis, abitque
Ut nix ad calidum liquescit ignem.
Cur labi bene parta sic videntur?

82.

Mala renovata.

Quae me febriculae frequentiores
Torrebant, abiisse gratulabar.
En rursus redeunt: abisse nollem.
Ob longum mala molliuntur usum,
Conturbant renovata, pristinoque
Irritant animum, novoque sensu.

83.

Servus improbus.

Occurri famulo mei sodalis
Ausi ducere iam senis puellam.
Cum laetum satis, ac satis viderem,
Quid caussae est? rogo: nil moratus inquit:
Me laetum facit unctior culina,

Quae munuscula nunc Hymen coegit,
Et quae munera mox dabit Cupido.
Isthaec munera quae forent rogavi:
Subrisit male salsus, addiditque:
Poscit nupta viro seni puella,
Qui fastidia, nauseamque pellat:
Servus conscius hinc capit, feraces
Fundi reddere quod negant trecenti.
Cum iam bile mihi iecur tumeret,
Quid si verbera, compedes, venena
Conatus iugulent inauspicatos?
Vel haec munera consciis ministris
Largiri solet improbus Cupido.

84.

Cimicum detestatio. (a)

Ioseph, pernicies nocentiorum
Huc adsis, scelus huc veni expiatum:
Adsint carnifices, hirudinesque
Scribarum genus impium, et scelestum.
Corpus, ut super igne pix liquescens,
Flagrat undique: cimicum phalanges
Me stringunt, stimulant, premunt, trucidant;
Me, qui, iam sophiae severiore
Vultu deposito, remotus urbe

(a) Cum in villa amici iudicis capitalis dormitum issem, cimicum phalanges me undique adortae sunt. Mane amico iudici hos hendecasyllabos sub libelli forma exhibui.

Ruri vivere credidi beatus.
An tu qui insequeris foris nocentes,
Sines esse domi nocentiores ?
Huc adsis, scelus hoc veni expiatum :
Adsint carnifices, hirudinesque
Scribarum genus impium, et scelestum.

85.

Parentalia.

Parentalia mortuis aguntur :
Ingens machina funebri apparatu
In templo struitur tenebricoso.
Plures undique fumigant lucernae;
Prostant mille cadaverum ruinae,
Res ingratae oculisque, naribusque.
Concurrit populus frequens : videres
In templo maris aestuare fluctus.
Huc me confero rite mortuorum
Facturus sacra sordibus piandis ;
Sed, dum me premit hic, moratur ille,
Caligant oculi, pedesque corpus
Aegrum ferre negant. Opem tulisset
Ni coeli mihi purioris haustus,
Conviva his epulis eram futurus,
Quas apponere credidi minister.

86.

Mors est aegrae vitae levamen.

Fractus pluribus, acribusque morbis
Mortem denique desii timere.
Quid mortem timeam ? caput laborum
Si vita est mihi, mors erit levamen.

87.

Iussa medicorum.

Iampridem sitio, fluitque potus,
Iampridem esurio, cibusque praesto est,
Et nihil comedo, nihilque poto,
Ne potem, comedamve vult Galenus.
Morem quis medico putet gerendum?
Ut vivam, medicus iubet perire.

88.

Pubblica indignatio.

Totis qui mihi viribus favere
Amicus, sociusque debuisset,
Centum fraudibus, ut noceret, usus,
Re gesta ut bene, saepe gloriatur.
Eius me miseret, piget, pudetque:

Dum plaudit sibi stultus, impudensque,
Auget, quam ciet, execrationem,
Et in, quam parat, incidit charybdim.
Quis hunc non veluti canem cavebit?
In hunc quis pede non ruet colubrum?

89.

Scriptor, et liber

Natus turpior, inficetiorque
Patri pulchrior est, facetiorque.
Quis est, dic mihi, natus hic, paterque?
Me sic philosopho rogante, dixi,
Libellus malus est, malusque scriptor.
Scribit qui magis inficetus auctor,
Amat quae magis inficeta scripsit.

90.

Gallus, et unio

Dum gallus pede pulverem revolvit,
Late quae nitet, edit unionem.
Spernit esuriens, aitque tristis
Granum plus mihi milii placeret.
Necessaria prima sunt habenda:
Si desint, quoque pulchriora sordent.